This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE



870.8
F93r

RECENTIORUM
POETARUM
SELECTA CARMINA

EDIDIT

CAROLUS POPPO FROEBEL,

DOCT. PHILOS. ET TYPOGRAPHUS.

VOLUMEN I.

IO. SECUNDI BASIA.
IO. OWENI EPIGRAMMATUM DELECTUS.

RUDOLPHOPOLI

1821.

PRAEFATIO.

Recentiorum poëtarum optimae notae plerorumque carmina tam raro obvia sunt, ut ad ingenti artisque thesauros in illis reconditos multis literarum Romanarum ceteroqui satis peritis aditus sit praeclusus. Istam vero injuriam esse, doctissimus quisque haud infitias ibit. Tamen etsi enim ingenuam illarum notitiam ex ipso classicorum *autorum purissimo fonte hauriendam esse*

315829

nemo sano recti judicio praeditus negabit, tamen lectissima recentiorum scripta ab iis, qui solida jam literarum fundamenta jecerint, cum multa tam utilitate quam oblectatione legi quis est qui dubitet?

Hoc de his maxime scriptis latinis, quae post restitutas literas ad seculi XVII. finem edita sunt, intelligendum esse, vix est quod moneam. Neque vero, quare postea scripta latina, praecipue poëtica, rarescant, nos latet. Vernacula namque cujusque populi lingua primis illis temporibus adeo rudis erat atque inculta, ut neque doctrinis pertractandis neque carminibus concinnandis esset apta. Quid mirum igitur, doctos homines, quae aut ad instituendum aut ad oblectandum essent vulgaturi, Romano potius idiomate, quod suum fecerant, consignasse. Pari ratione, prout singulorum

populorum idiomata e barbarie sese extollebant, latinorum rhythmorum apud illos studium decrescere coepit, ita ut nunc minima illorum sit cura.

Utrum hic neglectus literis proficuus sit an nocivus, disquirere, altioris est indaginis. Ceterum quis ferret, egregiae summae doctrinae, praestantissimi ingenii monumenta perire! Quod ne accidat, pro virium modulo elaboraturus periculum feci Io. Secundi basia *minimo modulo, minutissimoque charactere, singulis pagellis rubro limbo ornatis, edendo. Quod specimen quamvis imperfectum adeo multis probatum est, ut* Oweni Epigrammatum delectum *et* Vidae Schacchiam *pari forma edere non dubitarem. In quibus, ut, quae jure in primo volumine reprehensa essent, emendarentur, sedulo curavi. Sed post-*

quam de nimia typorum parvitate et de pretio nonnullos queri audivi, ut et his satis fieret, hanc editionem majore charactere excudendam curavi, in charta, nitida quidem sed minoris tamen pretii, excluso marginum ornatu et omissa ligatura, quae utraque res pretium auget. Duo item minoris editionis volumina in hac junxi, ita ut hoc primum Basia *et* Owenum *contineat. Secuturum* Vidae Schacchiam *et* Barlaei Virginem Androphoron *exhibebit.*

Ad utramque editionem longa serie continuandam materia mihi non deerit, modo aequi lectores ne desint. Scrib. Rudolphopoli d. 5. *Decembris* 1810.

IO. SECUNDI

B A S I A

ELEGANTIAE STUDIOSIS

B A S I A T O R I B U S

OFFERT

CAR. POPPO FROEBEL.

BASIUM I.

Cum Venus Ascanium super alta Cythera tulisset,
Sopitum teneris imposuit violis;
Albarum nimbos circumfuditque rosarum,
Et totum liquido sparsit odore locum:
Mox veteres animo revocavit Adonidis ignes,
Notus et irrepsit ima per ossa calor.
O quoties voluit circumdare colla nepotis!
O quoties dixit: Talis Adonis erat!

Sed placidam pueri metuens turbare quietem,
Fixit vicinis basia mille rosis.
Ecce calent illae, cupidaeque per ora Dionaeas
Aura, susurranti flamine, lenta subit.
Quotque rosas tetigit, tot basia nata repente
Gaudia reddebant multiplicata Deae.
At Cytherea, natans niveis per nubila cygnis,
Ingentis terrae coepit obire globum.
Triptolemique modo, foecundis oscula glebis
Sparsit, et ignotos ter dedit ore sonos.
Inde seges felix nata est mortalibus aegris:
Inde medela meis unica nata malis.
Salvete aeternum, miserae moderamina flammae,
Humida de gelidis BASIA nata rosis!

En ego tum, vestri quo vate canentur honores,
Nota Medusaei dum juga montis erunt,
Et memor Aeneadum stirpisque disertus amatae,
Mollia Romulidum verba loquetur Amor.

BASIUM II.

Vicina quantum vitis lascivit in ulmo,
Et tortiles per ilicem
Brachia procerum stringunt immensa corymbi,
Tantum, Neaera, si quinas
In mea nexilibus proserpere colla lacertis;
Tali, Neaera, si queam

Candida perpetuum nexu tua colla ligare,
Jungens perenne basium:
Tunc me nec Ceroris, nec amici cura Iyaci,
Soporis aut amabilis,
Vita, tuo de purpureo divelleret ore:
Sed mutuis in osculis
Defectos ratis una duos portaret amantes
Ad pallidam Ditis domum.
Mox per odoratos campos, et perpetuum ver,
Produceremur in loca,
Semper ubi, antiquis in amoribus, Heroinae
Heroas inter nobiles
Aut ducunt choreas, alternave carmina laetae
In valle cantant myrtea;
Qua violisque rosisque, et flavicomis narcissis,

Umbraculis trementibus,
Illudit lauri nemus, et crepitante susurro
Tepidi süave sibilant
Aeternum Zephyri; nec vomere saucia tellus
Foecunda solvit ubera.
Turba beatorum nobis assurgeret omnis:
Inque herbidis sedilibus
Inter Maeonidas prima nos sede locarent:
Nec ulla amatricum Jovis
Praerepto cedens indignaretur honore,
Nec nata Tyndaris Jove.

BASIUM III.

Da mihi suaviolum, dicebam, blanda puella;
Libasti labris mox mea labra tuis.
Inde, velut presso qui territus angue resultat,
Ora repente meo vellis ab ore procul.
Non hoc suaviolum dare, lux mea, sed dare tantum
Est desiderium flebile suavioli.

BASIUM IV.

Non dat basia, dat Neaera nectar;
Dat rores animae süaveolentes,
Dat nardumque thymumque cinnamumque,
Et mel, quale jugis legunt Hymetti,
Aut in Cecropiis apes rosetis,
Atque hinc virgineis et inde ceris
Septum vimineo tegunt quasillo:
Quae si multa mihi voranda dentur,
Immortalis in his repente fiam,
Magnorumque epulis fruar Deorum.
Sed tu munere parce, parce tali,
Aut mecum Dea fac, Neaera, fias!
Non mensas sine te volo Deorum;
Non, si me rutilis praeesse regnis,
Excluso Jove, Di Deaeque cogant.

BASIUM V.

Dum me mollibus hinc et hinc lacertis
Astrictum premis, imminensque toto
Collo, pectore, lubricoque vultu,
Dependes humeris, Neaera, nostris;
Componensque meis labella labris,
Et morsu petis, et gemis remorsa,
Et linguam tremulam hinc et inde vibras,
Et linguam querulam hinc et inde sugis,
Aspirans animae suavis auram,
Mollem, dulcisonam, humidam, meaeque
Altricem miserae, Neaera, vitae:
Hauriens animam meam caducam,
Flagrantem, nimio vapore coctam,
Coctam pectoris impotentis aestu;
Eludisque meas, Neaera, flammas,

Flabro pectoris haurientis aestum,
O jucunda mei caloris aura!
Tunc dico, Deus est Amor Deorum,
Et nullus Deus est Amore major.
Si quisquam tamen est Amore major:
Tu, tu sola mihi es, Neaera, major.

BASIUM VI.

De meliore nota bis basia mille paciscens
Basia mille dedi, basia mille tuli.
Explesti numerum, fateor, jucunda Neaera,
Expleri numero sed nequit ullus amor.
Quis laudet Cererem numeratis surgere aristis?
Gramen in irrigua quis numeravit humo?

Quis tibi, Bacche, tulit pro centum vota racemis?
Agricolamve Deum mille poposcit apes?
Cum pius irrorat sitientes Juppiter agros,
Deciduae guttas non numeramus aquae.
Sic quoque cum ventis concussus inhorruit aër,
Sumpsit et irata Juppiter arma manu,
Grandine confusa terras et caerula pulsat,
Securus, sternat quot sata, quotve locis.
Seu bona, seu mala sunt, veniunt uberrima coelo:
Majestas domui convenit illa Jovis.
Tu quoque cum Dea sis, Diva formosior illa,
Concha per aequoreum quam vaga ducit iter:
Basia cur numero coelestia dona coërces,
Nec numeras gemitus, dura puella, meos?

Nec lachrymas numeras, quae per faciemque sinumque
Duxerunt rivos semper euntis aquae?
Si numeras lachrymas, numeres licet oscula; sed si
Non numeras lachrymas, oscula ne numeres.
Et mihi da, miseri solatia vana doloris,
Innumera innumeris basia pro lachrymis.

BASIUM VII.

Centum basia centies,
Centum basia millies,
Mille basia millies
Et tot millia millies,

Quot guttae Siculo mari,
Quot sunt sidera coelo,
Istis purpureis genis,
Istis turgidulis labris,
Ocellisque loquaculis,
Ferrem continuo impetu,
O formosa Neaera!
Sed dum totus inhaereo
Conchatim roseis genis,
Conchatim rutilis labris,
Ocellisque loquaculis,
Non datur tua cernere
Labra, non roseas genas,
Ocellosque loquaculos,
Molles nec mihi risus:
Qui, velut nigra discutit
Coelo nubila Cynthius,
Pacatumque per aethera
Gemmatis in equis micat,

Flavo lucidus orbe;
Sic hutu eminus aureo
Et meis lachrymas genis
Et curas animo meo,
Et suspiria pellunt.
Heu, quae sunt oculis meis
Nata praelia cum labris?
Ergo ego mihi vel Jovem
Rivalem potero pati?
Rivales oculi mei
Non ferunt mea labra.

BASIUM VIII.

Quis te furor, Neaera,
Inepta, quis jubebat
Sic involare nostram
Sic vellicare linguam
Ferociente morsu?
An, quas tot unus abs te
Pectus per omne gesto
Penetrabiles sagittas,
Parum videntur? istis
Ni dentibus protervis
Exerceas nefandum
Membrum nefas in illud,
Quo saepe sole primo,
Quo saepe sole sero,
Quo per diesque longas,

Noctesque amarulentas,
Laudes tuas canebam?
Haec est, iniqua, nescis?
Haec illa lingua nostra est,
Quae tortiles capillos,
Quae paetulos ocellos,
Quae lacteas papillas,
Quae colla mollicella
Venustulae Neaerae
Molli per astra versu
Ultra Jovis calores,
Coelo invidente, vexit:
Quae te meam salutem,
Quae te meamque vitam,
Animae meaeque florem,
Et te meos amores,
Et te meos lepores,
Et te meam Dionem,
Et te meam columbam,

Albamque turturillam,
Venere invidente, dixit:
An vero, an est id ipsum,
Quod te juvat, superba,
Inferre vulnus illi,
Quem laesione nulla,
Formosa, posse nosti
Ira tumere tanta,
Quin semper hos ocellos,
Quin semper haec labella,
Et, qui sibi salaces
Malum dedere dentes,
Inter suos cruores
Balbutiens recantet?
O vis superba formae!

BASIUM IX.

Non semper udum da mihi basium.
Nec juncta blandis sibila risibus,
Nec semper in meum recumbe
Implicitum moribunda collum.
Mensura rebus est sua dulcibus,
Ut quodque mentes suavius afficit,
Fastidium sic triste secum
Limite proximiore ducit.
Quum te rogabo ter tria basia,
Tu deme septem, nec nisi da duo,
Utrumque nec longum, nec udum:
Qualia teligero Diana
Dat casta fratri, qualia dat patri
Experta nullos nata Cupidines;

Mox e meis lasciva ocellis
Curre procul natitante planta:
Et te remotis in penetralibus,
Et te latebris abdito in intimis.
Sequar latebras usque in imas,
In penetrale sequar repostum:
Praedamque victor fervidus in meam
Utrimque heriles injiciens manus,
Raptabo, ut imbellem columbam
Unguibus accipiter recurvis.
Tu deprecantes victa dabis manus,
Haerensque totis pendula brachiis,
Placare me septem jocosis
Basiolis cupies inepta.
Errabis: illud crimen ut eluam,
Septena jungam basia septies,
Atque hoc catenatis lacertis
Impediam, fugitiva, collum:

Dum, persolutis omnibus oscalis,
Jurabis omnes per Veneres tuas,
Te saepius poenas easdem
Crimine velle pari subire.

BASIUM X.

Non sunt certa meam moveant quae basia mentem,
Uda labris udis conseris, uda juvant:
Nec sua basiolis non est quoque gratia siccis,
Fluxit ab his tepidus saepe sub ossa vapor.
Dulce quoque est oculis nutantibus oscula ferre,
Autoresque sui demeruisse mali:

Sive genis totis, totive incumbere collo,
Seu niveis humeris, seu sinui niveo:
Et totas livore genas, collumque notare,
Candidulosque humeros, candidulumque sinum.
Seu labris querulis titubantem sugere linguam,
Et miscere duas juncta per ora animas,
Inque peregrinum diffundere corpus utrumque,
Languet in extremo cum moribundus amor:
Me breve, me longum capiet, laxumque, tenaxque,
Seu mihi das, seu do, lux, tibi basiolum.
Qualia sed sumes, numquam mihi talia redde:

Diversis varium ludat uterque modis.
At quem deficiet varianda figura priorem,
Legem submissis audiat hanc oculis:
Ut, quot utrinque prius data sint, tot basia solus
Dulcia victori det, totidemque modis.

BASIUM XI.

Basia lauta nimis quidam me jungere dicunt,
Qualia rugosi non didicere patres.
Ergo ego cum cupidis stringo tua colla lacertis,
Lux mea, basiolis immoriorque tuis,

Anxius exquiram quid de me quisque loquatur?
Ipse quis, aut ubi sim, vix meminisse vacat.
Audiit, et risit formosa Neaera, meumque
Hinc collum niveа cinxit et inde manu,
Basiolumque dedit, quo non lascivius unquam
Inseruit Marti Cypria blanda suo;
Et, quid, ait, metuis turbae decreta severae?
Causa meo tantum competit ista foro.

BASIUM XII.

Quid vultus removetis hinc pudicos,
Matronaeque, puellulaeque castae?
Non hic furta Deûm jocosa canto,
Monstrosasve libidinum figuras,
Nulla hic carmina mentulata, nulla
Quae non discipulos ad integellos
Hirsutus legat in schola magister.
Inermes cano basiationes,
Castus Aonii chori sacerdos:
Sed vultus adhibent modo hue protervos
Matronaeque, puellulaeque cunctae,
Ignari quia forte mentulatum
Verbum diximus, evolante voce.
Ite hinc, ite procul, molesta turba,
Matronaeque, puellulaeque turpes.

Quanto càstior est Neaera nostra,
Quae certe sine mentula libellum
Mavult, quam sine mentula poëtam?

BASIUM XIII.

Languidus e dulci certamine, Vita, jacebam
Exanimis, fusa per tua colla manu;
Omnis in arenti consumtus spiritus ore
Flamine non poterat cor recreare novo.
Jam Styx ante oculos, et regna carentia sole,
Luridaque annosi cymba Charontis erat:
Cum tu suaviolum educens pulmonis ab imo

Afflasti siccis irriguum labiis:
Suaviolum, Stygia quod me de valle reduxit,
Et jussit vacua currere nave senem.
Erravi: vacua non remigat illa carina,
Flebilis ad Manes jam natat umbra mea.
Pars animae, mea Vita, tuae hoc in corpore vivit,
Et dilapsuros sustinet articulos:
Quae tamen, impatiens, in pristina jura reverti
Saepe per arcanas nititur aegra vias.
Ac, nisi dilecta per te foveatur ab aura,
Jam collabentes deserit articulos.
Ergo, age, labra meis innecte tenacia labris,
Assidueque duos spiritus unus alat:
Donec, inexpleti post taedia sera furoris,
Unica de gemino corpore vita fluet.

BASIUM XIV.

Quid profers mihi flammeum labellum?
Non te, non volo basiare, dura,
Duro marmore durior, Neaera.
Tanti istas ego ut osculationes
Imbelles faciam, superba, vestras,
Ut, nervo toties rigens supino,
Pertundam tunicas, meas tuasque,
Vt desiderio furens inani,
Tabescam, miser, aestuante vena?
Quo fugis? remane, nec hos ocellos,
Nec nega mihi flammeum labellum:
Te jam, te volo basiare, mollis,
Molli mollior anseris medulla.

BASIUM XV.

Adducto Puer Idalius post tempora nervo
Stabat in exitium, pulchra Neaera, tuum:
Cum frontem, sparsosque videns in fronte capillos,
Luminaque argutis irrequieta notis,
Flammeolasque genas, et dignas Matre papillas,
Jecit ab ambigua tela remissa manu:
Inque tuas cursu effusus pueriliter ulnas,
Mille tibi fixit basia, mille modis;
Quae succos tibi myrteolos, Cypriosque liquores
Pectoris afflarunt usque sub ima tui:
Juravitque Deos omnes, Veneremque parentem,

Nil tibi post unquam velle movere mali.
Et miremur adhuc, cur tam tua basia fragrent?
Duraque cur miti semper amore vaces?

BASIUM XVI.

Latonae niveo sidere blandior,
Et stella Veneris pulchrior aurea,
Da mihi basia centum,
Da tot basia, quot dedit
Vati multivolo Lesbia, quot tulit:
Quot blandae Veneres, quotque Cupidines
Et labella pererrant,
Et genas roseas tuas:
Quot vitas oculis, quotque neces geris,

Quot spes, quotque metus, quotque perennibus
Mista gaudia curis,
Et suspiria amantium:
Da, quam multa meo spicula pectori
Insevit volucris dira manus Dei:
Et quam multa pharetra
Conservavit in aurea.
Adde et blanditias, verbaque publica,
Et cum suavicrepis murmura sibilis,
Risu non sine grato,
Gratis non sine morsibus:
Quales Chaoniae garrula motibus
Alternant tremulis rostra columbulae,
Cum se dura remittit
Primis Bruma Favoniis.
Incumbensque meis mentis inops genis,
Huc, illuc, oculos volve salacior,
Exsanguemque lacertis

Dic te sustineam meis.
Stringam nexilibus te te ego brachiis,
Frigentem calido pectore comprimam,
Et vitam tibi longi
Reddam afflamine basii.
Donec succiduum me quoque spiritus
Istis roscidulis linquet in osculis,
Labentemque lacertis,
Dicam, collige me tuis.
Stringes nexilibus me, mea, brachiis,
Mulcebis tepido pectore frigidum;
Et vitam mihi longi af-
flabis rore süavii.
Sic aevi, mea lux, tempora floridi
Carpamus simul: en, jam miserabiles,
Curas aegra senectus
Et morbos trahet, et necem.

BASIUM XVII.

Qualem purpureo diffundit mane colorem
Quae rosa nocturnis roribus immaduit;
Matutina rubent dominae sic oscula nostrae,
Basiolis, longa nocte, rigata meis:
Quae circum facies niveo candore coronat,
Virginis ut violam cum tenet alba manus:
Tale novum sesia cerasum amb floribus ardet:
Aestatemque, et ver eius, simul arbor habet.
Me miserum! quare, cum flagrantissima jungis
Oscula, de thalamo cogor abire tuo?
O saltem, labris serva hunc formosa ruborem,
Dum tibi me referat nobis opaca quies!

Si tamen interea cujusquam basia carpent,
Illa meis fiant pallidiora genis.

BASIUM XVIII.

Cum labra nostra cernebat puellae,
Inclusa circo candidae figurae,
Ut si quis ornet, arte curiosa,
Coralliisis eburna signa bupeis:
Flevisse fertur Cypris, et gemendo
Lascivientes convocasse Amores,
Et, quid juvat, dixisse, purpuratis
Vicisse in Ida Palladem libellis,
Et promeruisse magni Jovis sororem,
Sub arbitro pastore? cum Neaera
Hanc anteferat arbitro poëta?

At vos furentes ite in hunc poetam,
Et ira plenis tela de pharetris
In illius medullulas cruellas,
Pectusque per jecurque per jocosum,
Distringite acres perstrepente corna.
At ille nullo pertepescat igne,
Sed tacta pectus plumbea sagitta,
Torpescat imas congelata venas.
Evenit: imis uror in medullis,
Et torrido jecur liquescit igne:
Tu fulta pectus asperis pruinis
Et caute, quales aut maris Sicani,
Aut Adriae unda tundit aestuosa,
Secura ludis impotentem amantem?
Ingrata! propter ista labra rubra
Laudata pleetor. Heu, misella, nescis
Cur oderis: nec ira quid Deorum
Effrena possit, et furor Diones.
Duros remitte; mollicella, fastus:

Istoque dignos ore sumite mores.
Et, quae meorum causa sunt dolorum,
Mellita labris nectite labra nostris:
Haurire possis ut mei pusillum
Praecordiis ex intimis venenî,
Et mutuis languere victa flammis.
At nec Deos, nec tu time Dianen:
Formosa Divis imperat puella.

BASIUM XIX.

Mellilegae volucres, quid adhuc thyma
cana, rosasque,
Et rorem vernae nectareum violae
Lingitis, aut florem late spirantis anethi?
Omnes ad Dominae labra venite meae.

Illa rosas spirant omnes, thymaque omnia
sola,
Et succum vernae nectareum violae:
Inde procul dulces aurae funduntur anethi,
Narcissi veris illa madent lachrymis:
Oebaliique madent juvenis fragrante cruore,
Qualis uterque liquor, cum cecidisset,
erat,
Nectareque aethereo medicatus et aëre puro,
Impleret foetu versicolore solum.
Sed me, jure meo libantem mellea labra,
Ingratae socium ne prohibete favis.
Non etiam totas avidae distendite cellas,
Arescant dominae ne semel ora meae,
Basiaque impressans siccis sitientia labris,
Garrulus indicii triste feram pretium.
Heu, non et stimulis compungite molle la-
bellum:
Ex oculis stimulos vibrat, et illa pares.

Credite, non ullum patietur vulnus inultum!
Leniter innocuae mella legatis apes.

BASIUM XX.

Hora suavicula, et voluptuosa,
Hora blanditiis, lepore, risu,
Hora deliciis, jocis, susurris,
Hora suaviolis, parique magnis
Cum Dis et Jove transigenda sorte;
Hora qua poterat beatiorem
Nec Gnidi Dea sancta polliceri;
Nec qui cum pharetra pererrat orbem,
Curis gaudia delicata miscens,
Penna splendidus aurea Cupido;
Magni pronuba nec Soror Tonantis;

Nec qui floridulas Hymen puellas
Raptas e gremio tenace matrum
Involvit cupidis viri lacertis
Rupis incola floriger canorae
Advecta est, serie futura secli.
O, felix juvenis, puella felix!

Felix sponse, cui cupita flamma
Jam nunc in gremio quiescet almo,
Puella aetheria beata forma,
Qualem neque Venus, velitque Juno,
Et quae casside Martia refulget,
Sancto vertice procreata Pallas,
Si junctae statuant adire vallis
Umbrosas iterum virentis Idae,
Qua spectanda vel haec, vel haec, vel illa,
Quovis judicio superba malum
Victrix aureolum reportet astris.
O, felix juvenis, puella felix!

Felix sponsa, cui capitis ardor
Affusus modo lectulo in beato,
Stringet colla tenacibus lacertis,
Insigni juvenis venustus ore.
Istis qui roseis tuis labellis,
Istis qui niveis tuis papillis,
Isto qui rutilante crine tactus,
Isto lumine quin loquace victus,
Jampridem tacito vexatur igni,
Lentumque increpat usque et usque solem,
Tardamque invocat usque et usque lunam,
O, felix juvenis, puella felix!

Votis fervide sponse, parce votis,
Et suspiria mitte, mitte questus!
Tempus accelerat suave: mitis
Exaudit gemitus Venus suorum.
Condit Cynthius ora, condit ora,
Seque gurgite perluens Ibero
Cedit noctivagae locum Soroiz.

Et, quo gratior haud relucet ignis,
Conjunctis animis amore dulci,
Producit caput, emicatque coelo
Ductor Hesperus aureae catervae.
O, felix juvenis, puella felix!
Jam virgo thalamum subibit, unde
Ne virgo redeat, mariti cura.
Jam virgo niveis locata fulcris
Adventum cupiet tuum, tremetque,
Perfusa ingenuo rubore malis;
Forsan et lachrymis genae madebunt,
Et suspiria fundet, et querelas.
At tu nil remoratus, et querelas,
Et suspiria, lachrymasque tollis,
Abstergens oculos tuo ore, dulce
Murmur pro querimoniis reponens.
O, felix juvenis, puella felix!
Ergo, membra ubi virginis decorae
Felix candida lectulus fovebit,

Membra languidulo perata somno,
Et molli quoque te toro locatum,
Supra purpureos beata reges,
Supra constituet Jovem Dione;
Mox te blandidicis parere rixis,
Mox te molliculas parere pugnae,
Motus occipies calore justo:
Belli prospera signa non cruenti
Figens mille protervus hic et illic,
Collo basia multa, multa malis,
Labris basia plura, plura ocellis:
Repugnabit, et improbum vocabit,
Et dicet, satis est, tremente voce,
Arcebitque manu proterva labra,
Propelletque manu manum protervam.
O, noctem ter, et amplius beatam!
Pugnet strenua, pugnet ille. Pasci
Pugnando teneri volunt Amores.
Pugnando tibi duplicatus ardor

Vires sufficiet novas in arma;
Tunc per candida colla, tunc per illud,
Quod certat chori nitore, pectus,
Tunc per crura tenella, perque ventrem,
Et quae proxima sunt et huic et illis,
Saltu volve agili manum falacem:
Et tot millia junge basiorum,
Quot coelum rutilos tenebit ignis.
O, noctem quater et quater beatam!
Nec desint tibi blandulaeque voces,
Et quaecunque juvant perita verba,
Nec cum murmure sibili suaves,
Qualis dant Zephyro sonante blandum
Frondes; quale columba, quale cygnus
Annosus moriente spirat ore:
Donec victa potentibus sagittis,
Et coeco Pueri volantis igne,
Paulatim minus et minus severa,
Ponet purpureum toro pudorem,

Collum in brachia nexuosa dedens,
Collo brachia nexuosa stringens.
O, noctem quater, o quater beatam!
Tunc, tunc oscula delicata sumes,
Nullis contemerata quae rapinis
Haerebunt vario morata nexu.
Tunc lusus similis, parisque virgo
Reddet deliciis, et os hiulcum
Jampridem patulo licenter ori
Committens, animae libidinoso
Fragrantis cupidum beabit haustu.
Mox lusu quoque molliore ludens,
Dicet blanditias suaviores,
Emittet digitos licentiores,
Finget nequitiam salaciorem.
O, noctem nimis et nimis beatam!
Tunc arma expedienda, tunc ad arma
Et Venus vocat, et vocat Cupido:
Tunc in vulnera grata proruendum,

Huc, illuc agilis feratur hasta,
Quam crebro furibunda vibret ictu.
Non Martis soror, ast amica Martis
Semper laeta novo cruore Cypris.
Nec quies lateri laborioso
Detur, mobilibus nec ullis coxis:
Donec deficiente voce anhela,
Donec deficientibus medullis,
Membris languidulis, madens uterque
Sudabit varii liquoris undas.
O, noctem nimis, o nimis beatam!

Sudate ut libet, et, diesque longas,
Noctesque exigite impotente lusu:
Et brevi date libamosque dulcis,
Et longo ordine blandulos nepotes,
Quae vobis senii minuta turba
Olim sollicitos levabit annos,
Arcebit querulos toro dolores,

Languentum tremulos fovebit artus,
Componet tumulo pios parentes.
O felix juvenis, puella felix!

BASIUM XXI.

Casta quod enervi cantamus Basia libro,
Versibus eludit fusca Lycinna meis;
Et me languiduli vatem vocat Aelia penis,
Quae Venerem in triviis porticibusque locat.
Scilicet exspectant nostrum quoque noscere penem?
Parcite turpiculae; mentula nulla mihi est.

Nec vobis canto, nec vobis basia fingo.
Ista legat teneri sponsa rudis pueri:
Ista tener sponsus, nondum maturus ad arma,
Exerceat variis quae Venus alma modis.

BASIUM XXII.

Carmina cur spargam cunctis lasciva libellis,
Quaeritis? insulsos arceo Grammaticos.
Fortia magnanimi canerem si Caesaris arma,
Factave divorum religiosa virûm,
Quot miser exciperemque notas, paterer-que litûras!
Quot fierem teneris supplicium pueris!

At nunc nda mihi dictent cum basia carmen,
Pruniat et versu mentula multa meo:
Me legat innuptae juvenis placiturus amicae,
Et placitura novo blanda puella viro,
Et quemcumque juvat lepidorum de grege ratum
Otia festivis ludere deliciis.
Lusibus at laetis procul hinc absistite, saevi
Grammatici, injustas et cohibete manus:
Ne puer, ob mollis caesus lachrymansque lepores,
Duram forte meis ossibus optet humum.

IO. OWENI

EPIGRAMMATUM

DELECTUM

FECIT ET

ACUTIS INGENIIS

LUSTRANDUM DEDIT

C. P. FROEBEL.

CANDIDO LECTORI EDITOR.

Postquam BASIORUM edittunculam, a me paratam, elegantes homines favore suo prosequi laetissimus percepi, in IO. SECUNDO edendo ex promisso jam perrecturus eram: cum mutata mente haud absurdum mihi visum est, ex aliorum melioris notae poëtarum hortulis flosculos hinc inde decerpere, et, ut nunc mos est, factam corollam *lepidis ingeniis offerre. Incidi in IO. OWENI EPIGRAMMATA, nec, uti reor, infeliciter; quippe quem salsissimis poëtis adnumerare haud dubitem. Sed universa epigrammata recudere a consilio fuit alienum, cum propter molem, tum quod egregium ingenium ad insulsos scholae jocos, meresque verborum lusus saepius est seductum.*

Delectum igitur facere decrevi, ut quaeque mihi digna viderentur. Lectorum erit judicare, quo sensu illum instituerim. Cum non omnibus eadem probentur, alios admissa culpaturos, alios omissa desideraturos mihi fuit praevidendum. Ceterum si consilium meum ab aequis judicibus haud prorsus improbari sensero, satis mihi felix videbor, et ad sedulo pergendum animus accendetur. Scrib. Rudolphopoli II. Cal. Aug. 1820.

AD LECTOREM.

Qui legis ista, tuam reprehendo, si mea laudas
Omnia, stultitiam: si nihil, invidiam.

IN AULUM, NOBILEM IGNOBILEM.

Degener, Aule, tuis majoribus omnia debes:
Debebit, credo, nil, tibi posteritas.

AD MEDICOS ET JURISCONSULTOS.

Ulceribus, Galene, vales tantummodo nostris:
Stultitia nostra, Justiniane, sapis.

JUDICIUM PARIDIS.

Cum Paris electus Divis tribus arbiter esset,
Nec praeferret utram sciret utrique magis:
Majestas tandem Veneri Junonia cessit,
Pallade et victus; omnia vicit amor.
Si nunc judicium renovata lite subirent:
Vinceret una duas Juno Moneta Deas.

AD QUENDAM PAUPEREM MEDICUM.

Qui modo venisti nostram Mendicus in urbem,
Paulum mutato nomine fis Medicus.
Pharmaca das aegroto, aurum tibi porrigit aeger:
Tu morbum curas illius, ille tuum.

EPITAPHIUM ATHEI.

Mortuus est, quasi victurus post funera non sit:
Sic vixit, tanquam non moriturus erat.

IN ALANAM.

Conjugio esse jugum non intolerantius ullum,
Nil aliud toto clamat Alana die.
Post tot clamores et jurgia nocte fatetur,
Conjugio nullum suavius esse jugum.

MARITUS ET MOECHUS.

MARITUS.

Hanc ego mi uxorem duxi; tulit alter amorem:
Sic vos non vobis mellificatis, apes.

MOECHUS.

Hos ego filiolos feci; tulit alter honores:
Sic vos non vobis nidificatis, aves.

AD PHILOPATRUM.

Pro patria sit dulce mori licet atque decorum;
Vivere pro patria dulcius esse puto.

JURISCONSULTUS.

Juris prudentes prudentes jure vocantur:
Tam bene cum studeant provideantque sibi.

AULICUS.

Si bonus es: melior, non major tempore fies;
Si magnus: major tempore, non melior.

SECRETUM CONTRA CANITIEM.

Ne tua sit posthac, Bithynice, cana senectus,
(O te felicem!) calva juventa facit.

Probatum est.

IN THEODORUM.

Ducentem ad coelos Theodorus, conjugè ducta,
Credidit angustam se reperisse viam.
Esse videbatur Theodoro quae via Coeli,
Duxit ad Infernum: nam via lata fuit.

IN ALANUM, JAM SENEM.

Uxoris subito cubitum conjungit Alanus;
Hi solet hunc dulcem dicere concubitum.

IN PONTIAM.

In mare Cornutos jaciendos Pontius inquit:
Pontia respondit: Disce natare prius.

CASUS AD IURISCONSULTOS.

Cum propria imprudens conjux uxore coivit,
Quam falso alterius credidit esse viri.
Hoc genitum coitu, Consulti juris et aequi,
Legitime natum dicitis anne nothum?

CAETERIS PARIBUS.

Paeta Camilla procis ambita et amata duobus,
Quorum pulchellus sed brevis alter erat;
Non formosus erat, sed erat longissimus alter;
Utrum horum mavis? virgo rogata rudis.
Continuo hunc lustrans oculis, et brachia longa,
Nasum, crura, pedes, omnia longa videns,
Prudenter respondit ad hoc magis anne pudenter?
Hunc longum volo, si caetera sunt paria.

IN MARCUM.

Carmine, Marce, tuo laudas me: fallor, an hoc tu,
Ut tua collaudem carmina, Marce, facis?

IN FUCATAS.

Quae pictas geritis facies, vos jure potestis
Dicere cum Flacco: Pulvis et umbra sumus.

IN VENEREM.

Cur Venus illicitum sequitur Vulcania Martem?
Vulcanus licita claudicat in Venere.

IN MARCUM.

Barba tibi crevit, ceciderunt, Marce, capilli:
Inde tibi gravis est barba, caputque leve.

IN PONTICUM.

Te mihi dixisti resipiscere: non tibi credo,
Pontice, qui nunquam te sapuisse scio.

IN HALLUM GRAMMATICASTRUM.

Sum famosus, adhuc jejunus dum foret, Hallus:
Infamis nunc sum, cum satur esset, ait.

CHILDREN AND FOOLS TELL TRUTH.

Anglica veridicos dicunt proverbia stultos;
Ergo Anglis verum dicere stultitia est.

IN CALVUM.

Calve, meos nunquam potui numerare capillos;
Nec tu (nam nulli sunt) numerare tuos.

HERCULEUS LABOR DECIMUS TERTIUS.

Conjugis ingentes animos linguamque domare,
Herculis est decimus tertius iste labor.

IN ALBINUM.

Nunc tua res agitur, paries nam proximus ardet,
Albinum Felix obvius admonuit.
Uxorem facto propcrans Albinus in ipso
Repperit: O, inquit, nunc mea res agitur!

IN AVARUM.

Ferrea cista auri custos tibi; ferrea porta,
Ferrea tota domus: ferreus et dominus.

DE BARDELLA, LATRONE MANTUANO.

Bardellam Monachus solans in morte latronem,
Euge, tibi in coelo coena paratur, ait.
Respondit Bardella: Hodie jejunia servo,
Coenabis nostro, si lubet, ipse loco.

SATYRA.

Idem qui legum, Satyrarum finis, idemque
Principium: mores has genuere mali.

AENIGMA.

Dic, quibus hoc animal terrae nascatur in oris,
Masculus est mater cui, mulierque pater?

IN PONTICUM.

Pollicitus nonnulla, nihil mihi, Pontice, praestas?
Ut medicus, quamvis nil det, ait: Recipe.

DE CORNIBUS, PROBLEMA.

Si quando sacra jura tori violaverit uxor,
Cur gerit immeritus cornua vir?, Caput est.

IN THRASONEM.

Cur immensa gerat miles calcaria Thraso,
Quaeritur: Immensum gloria calcar habet.

AULA.

Quisquis in ambigua se non accommodat aula
Omnibus ingeniis, non habet ingenium.

AETAS AUREA.

Cognita Tartarei cum nondum vis foret auri,
Aurea cur aetas illa vocata fuit?

IN ALANAM.

In thalamo Natura locum cui praebuit imum,
In mensa summum sumit Alana sibi:
Scilicet imperium facilis cum conjuge conjux
Dividit, hic noctes regnat, et illa dies.

IN BATTUM.

Batte, tacenda ultro loqueris, veniamque precaris,
Visne tibi venia nil opus esse? tace.

OSCULUM SALUTATIONIS.

Basia da tria Phylli mihi: tria si dare non vis
Oscula, da saltem tot, quot habes labia.
Das unum sumisque, negas duo basia, Phylli:
Vel tibi sume tuum, vel mihi redde meum!

DE SE IPSO.

Ludicra dum tracto graviter, studeo quasi ludens;
Dum leviter tracto seria, ludo studens.

REGES. POPULUS.

Labitur indocto populus sub principe: sicut
Prae capitis titubant ebrietate pedes.

ALEXANDER. ARISTOTELES.

Maximus hic Regum, doctissimus ille Sophorum;
Magnus Alexander, major Aristoteles:
Doctus Alexandrum meliorem reddidit ille;
Non hic majorem magnus Aristotelem.

D I V E S.

In coelum dives cur raro ascendit? Avarum
Poenitet expensi, praeterea nihili.

AD LECTOREM CANDIDUM.

Optima quae bona sunt, mediocria, quae mala, dices
Carmina judicio, lector amice, tuo.

AD LECTOREM NIGRUM.

Pessima quae mala sunt, mala, quae mediocria, dices
Carmina censura, lector inique, tua.

EPIGRAMMA. SATYRA.

Nil aliud Satyrae quam sunt Epigrammata longa;
Est praeter Satyram nil Epigramma brevem.
Nil Satyrae, si non sapiant Epigrammata, pungunt:
Ni Satyram sapiat, nil Epigramma juvat.

AD LECTOREM DE SUO LIBRO.

Ne tibi non placeant, vereor, mea carmina, lector
Candide; ne placeant, lector inepte, tibi.

O SPES FALLACES!

O res fallaces potius! spes vero fideles!
Quae vel ad extremum nos comitantur iter.

FORTITUDO.

Scit Sapiens, vult cuique suum jus reddere Justus:
Qui facere hoc audet, Fortis habendus erit.

MORS.

Mors, vitanda malo, sancto invitanda, malorum
Ultimus est finis, vel sine fine malum.

HODIE.

Hoc quod adest Hodie quod nomen habebat heri? Cras.
Cras Hodie quodnam nomen habebit? Heri.
Cras lentum quod adest nunquam, nec abest procul unquam,
Quonam appelletur nomine cras? Hodie.

DE JURE ET JUSTITIA.

Trita magis Juris quam Justitiae via, quanquam
Juris iter longum, Justitiaeque breve est.

ADRIUM.

Dupliciter miser es, quia felix ante fuisti,
Duplicíter felix, qui fuit ante miser.

IN PRODIGUM ET PARCUM.

Hic nisi post mortem veteri nil donat amico:
Ille nihil, quod post funera donet, habet.

PHILAUTIA.

Crimina qui cernunt aliorum, nec sua cernunt:
Hi sapiunt aliis, desipiuntque sibi.

PATRIA.

Est domi ubique Bonus, Sapiens non exulat usquam;
Omne solum Forti patria et omne salum.
Exilium est ubicunque male est, patria est, ubi contra;
Patria ubique bonis, exiliumque malis.

OPINIO.

Credere vult nemo, credi sibi quisque, fidemque,
Sicut amicitias, utilitate probat.

DURUS PATER.

In gnatum quo, dure parens, es parcior, hoc es
Largior: huic moriens omnia namque dabis.

SPES.

Cum mihi sit casûs prudentia nulla futuri,
Quid speremve boni, quid metuamve mali:
Non despero tamen; cum spe mihi spiritus exit;
Producit vitam spes mihi longa brevem.

O TEMPORA! O MORES!

Cur accusat homo mores et tempora, culpam
Moribus adscribens temporibusque suam?
Non in temporibus vitium est, aut moribus ullum,
Non vitiamur ab his temporibus, sed in his.

DE MEDICINA ET JURISPRUDENTIA.

Vivere naturae si convenienter amarent
Mortales, medica nil opus esset ope.
Si saperent homines, rixis avidisque carerent
Litibus et queruli garrulitate fori,
Sic incompositus post scrinia Bartolus iret,
Et mus illectum roderet Hippocratem.

CONJUGES.

Discordes non tota domus nos continet ambos,
Concordes lectus nos tamen unus habet.

SCIENTIA.

Judice me, soli semperque perinde beati
Sunt, quicunque sciunt omnia, quique nihil.

OMNIA VANITAS.

Defleret mores, si viveret, Heraclitus;
Nostraque rideret tempora Democritus:
Quanquam ad ridendum curas et inania mundi,
Splenis Democritus non satis unus habet;
Ad casus hominum lacrymarum rore rigandos,
Heraclito, oculi non satis ambo tui.

IN EPICUREOS.

Sæpe ego de Veneris juvenes brevitatis querentes
Audivi, et vitam de brevitate senes.
Vita voluptatis brevis est, vitæque voluptas;
Qui pariter parvi pendit utramque, sapit.

IN BATTOLOGUM.

Nulla sat ut Tulli est oratio longa diserti,
Sic tua, Batte, brevis concio nulla satis.

IN ZOILUM.

Zoilus aeterno laceratur carmine, quanquam
Ante duo annorum millia mortuus est.
Anne quod haeredes post se tot in orbe reliquit,
Pro tota poenam posteritate luit?

CORNICULA. ANSER.

CORNICULA.

Altera me in terris non est facundior ales.

ANSER.

Tu me plus loqueris: plus ego scribo tamen.

AD PONTILIANUM.

In jus Christophorus te, Pontiliane, vocavit:
Non te, sed nummos, Pontiliane, tuos.

AD LIBRUM.

Innumero dicenda tibi sub judice causa est,
Arbitrium de te non duo tresve dabunt;
Forsan et illectus temere damnabitur autor;
Rarior et lector, quam reprehensor, erit.

GALLICINIUM.

Anglorum sensit virtutem Gallia; solus
Ad Galli cantum non fugit iste Leo.

BELLUM GRAMMATICALE.

IN QUINTUM.

Est nummus Nomen, Verbum promittere: Quintus,
A quo sperabam Nomina, Verba dedit.

TRÈS DIMENSIONES.

IN BATTOLOGUM.

Vox tua mensuris desiderat e tribus unam:
Lata satis, nimium longa, profunda parum.

IN TENACEM CLIENTEM.

Miraris clausae quod sint tibi judicis aures,
Cum tua judicibus non sit aperta manus?

AULICUS.

AD AMICUM AULICUM.

Arrisit tibi Rex? Ridebit et assecla magni
Regis, ut ad motum corporis umbra movet.
Perfricuit frontem Rex? Aulicus illico vultum
Contrahit, ut, eum sol occidit, umbra fugit.

IN POLYDORUM VIRGILIUM.

Virgilii duo sunt: alter Maro, tu, Polydore,
Alter: tu mendax, ille Poëta fuit.

IMAGO IN SPECULO.

Subridet, quasi te ridentem cernat imago,
Irrigat et mœstas, te lacrymante, genas;
Cum dormis, oculos claudit, tecumque movetur:
At tu dum loqueris, dicit imago nihil.

THE WEAKER VESSEL.

Eclipsin raro patitur sol, luna frequenter;
Est magis ad lapsum fœmina prona viro.

IN MARCUM.

Esse potest dives promissis quilibet, inquis?
Pollicitis dives non ero, Marce, tuis.

IN LINUM.

Te mihi devinxi, credebam cum tibi nummos:
Me tibi devinctum vis? mihi redde meum.

CARENDO MAGIS, QUAM FRUENDO.

Ingenium scis quid valeat, quid, Pontice, virtus,
Si rerum scitur verus agendo valor.

HEAUTONTIMORUMENOS.

Angelus est nimium felix, quia corporis expers:
Bruta nec infelix bellua, mente carens.
Solus homo miser est: ita mente et corpore constat,
Sentiat ut fragilem se, miserumque sciat.

Scilicet omnis homo (Menedemi nam sumus omnes)
Se ratione angit, non ratione regit.

IN CENSOREM INIQUUM.

Incendit Triviae sacra templa, ut nomen haberet,
Quidam nescio quis: nec, puto, nomen habet.
Si tu dente nigro carpis mea carmina: speras
Forsan in hoc quarto nomen habere libro.
Usque, licet per me, rodas mea carmina, carpas
Usque licet; fallam spes ego, Mome, tuas.

NEC IN HOC SECULO, NEC IN FUTURO.

Seu res praesentes considero, sive futuras,
Nemo hominum magis est te, Damiane, miser.
Improbus es: nil seclum juvate ergo futurum;
Stultus es: hoc seclum te juvat ergo nihil.

IN CENSOREM INIQUISSIMUM.

Inter tot scelératorum centena, tulisset
Si justos tantum quinque Gomorrha viros;

Staret adhuc. — — — —
Tu propter paucos, leviuscula carmina, lusus,
Vis pereat totum, livide Lector, opus.

AD LECTOREM.

Cur ego tam studeam brevitati, forte requiris:
Hoc factum est causa, Lector amice, tua.
Sicut iter longum facienti onerosius auro est
Argentum: longum sic Epigramma brevi.

AD QUENDAM SOMNIATOREM.

In somnis ignota prius mysteria discis,
Multaque, te vigilem quae latuere, doces:
Quanto plus igitur scires, si mortuus esses,
Tam bene quem docuit mortis imago loqui?

IN PHILAUTUM.

Dilige vicinum, veluti te diligis ipsum:
Sic, inquis, facio: Proximus ipse mihi.

HOMO HISTRIO.

Spes Argumentum vitae (nam Fabula vita est),
Mundus Scena, Fides Prologus, Actor Amor.

AUDACES FORTUNA JUVAT.

Foemina Fortunae similis formosa videtur;
Non amat ignavos illa, nec ista, viros.

AD QUINTUM, AULICUM,

Est oculus tibi, Quinte, unus? metuendus Ulysses?
Centum oculi vigiles sunt tibi? Mercurius.

IN MARCUM EPICUREUM.

Prudenter latitas, si te latuisse lateret,
Marce: sed hoc ipsum, te latitare, patet.

FIDES MERCATORIA.

Solvit inops diti Croeso quod debuit Irus,
Pauperis est major, divitis anne fides?

AD PONTICUM CLIENTEM.

Pontice, causidico nil porrigis; ista chiragra est.
Ille pedem pro te non movet; haec podagra est.

INCREDULITAS.

Credulitas error potius quam culpa videtur.
Est error nimium credere, culpa parum.

CREDULITAS.

Qui cuivis quidvis credit, male creditur illi:
Quo credis mihi plus, hoc tibi credo minus.

THOM: WOLSEI, CARDINALIS: EGO ET REX MEUS.

Dicere Grammatices ratio permittit: Ego et Rex,
Ethica te jubet ars dicere, Rex et Ego.
Haec est nimirum vivendi ars, illa loquendi.
Principis haec Aulae serviat, illa Scholae.

AD GALLOS.

Quisque suo bibit in vitro: mos utilis hic est;
Ex quo contentus conjuge nemo sua est.

PHILAUTUS PHILARISTO.

Exspectas, Philariste, tibi dum munera mittam?
Nil habeo quod dem me tibi praeter ego.

PHILARISTUS PHILAUTO.

Quod mihi misisti, nihil est; nihil ergo remitto:
Te mihi donasti; Te tibi reddo. Vale.

IN GELLIAM.

Dissimiles licet inter se tibi sint duo nati,
Est similis patri natus uterque suo.

IN MANCINUM, INERTEM MAGISTRUM.

Qui totum sine fine diem per compita curris,
Ut tamen in studiis per videare vigil,
Accenta de nocte soles dormire lucerna:
Vis, Mancine, oleum perdere, non operam.

IN LITIGIOSUM DEBITOREM.

Quae tua nequitia est, quod debes, non mihi solvis.
Solvis causidico: quae tua stultitia est!

IN EUNDEM.

Sollicitum te cura tenet non, quomodo solvas:
Quomodo non solvas, maxima cura tua est.

ANNULUS NUPTIALIS.

Annulus ut sponsae spondente ab amante daretur
Moris erat, vetus hoc pignus amoris erat:
Annulus a sponsa potius pro pignore sponso
Donetur; digitum porrigat ille suum.

AD AMICUM DIVITEM.

Si quantum valeat res quaeque carendo sciatur:
Quid valeant nummi divitiaeque scie.

AVARA LIBERALITAS.

Donat, ut accipiat: non accipit, ut det, Acerra,
Accipere est illi meta; sagitta dare.

DE EPIGRAMMATIS.

AD LECTOREM FASTIDIOSUM.

Est tanquam mulier formosa epigramma jocusque,
Quae communis eo fit, quia pulchra fuit.
Communis jam facta semel, formosa videri
Desinit, et moechis taedia mille parit.

PRODIGIUM.

Penelopea fides inter proverbia quondam,
Nunc in prodigiis possit habere locum.

IN ANNETTAM, FRANCAM.

Natura est paucis contenta, Annetta: sed hoc de
Natura dictum non reor esse tua.

AD CAROLINAM.

In speculo vultum quoties oculosque tueris,
Si forte elatam te tua forma facit,

Splendida sed fragilis, pulchra at peritura, memento,
Quam speculo similis sis, Carolina, tuo.

MERCATORES.

Exstat apud lepidum Mercator Fabula Plautum,
Pseudolus huic aptum proxima nomen habet.

NEUTER.

Pompejanus ero, si vicerit omnia Magnus:
Omnia si Caesar, Caesarianus ero.

AD LECTOREM.

Omnia salsa sitim pariunt potoribus: o si
Lectori pariant carmina nostra sitim!

AD AMICUM CONJUGATUM.

Imperet ipsa nihil, quidvis tamen impetret uxor:
Utere nec serva conjuge, nec domina.

IN COTTAM.

Condidit ex nihilo Deus unicus omnia: contra
Tu facis ex toto, Cotta Chymista, nihil.

EPITHALAMIUM.

Objectum nostri, dum lux est, Tullia, visus:
Subjectum, cum nox venit, Amoris eris.

UN CADET. A YOUNGER BROTHER.

Sum pauper? non culpa mea est, sed culpa parentum,
Qui me fratre meo non genuere prius.

AD UXORIUM.

Saepe quiescit ager, non semper arandus: at uxor
Est ager, assiduo vult tamen illa coli.

DEBITOR ET CREDITOR.

AD AMICUM MERCATOREM.

Sint nostro licet in libro tua nomina: tu scis
Me nullum in libris nomen habere tuis.
Nil equidem tibi praeter amorem debeo: semper
Debitor atque idem Creditor hujus ero.

QUINTINAE LAUS.

Si te laudarem, Quintina, superbior esses:
Te laudare equidem nolo, superba sat es.

REGES ET PROPHETAE.

Rex extra patriam, vel maximus, haud habet ullum
Imperium: in patria nemo Propheta fidem.

VIRTUS.

Virtutem Genii duo semper in orbe sequuntur;
Hic bonus, ille malus: Gloria et Invidia.

IN BATTUM.

Pauca tibi semper respondeo multa roganti;
Non quia multa rogas, sed quia stulta rogas.

SOMNUS. MORS.

In somnis quanquam simulo pro tempore mortem,
Non est pars vitae dulcior ulla meae.
Permirum est in morte igitur quid tam sit amarum,
Tam dulcis cum sit mortis imago, sopor.

IN QUENDAM GRAMMATICASTRUM.

Grammaticus bonus es, nil praeter grammata nosti;
Scis praeter literas nil: literatus homo es.

AURUM EX STERCORE.

AD AMICUM MEDICUM.

Aurum Virgilius de stercore colligit Enni:
Fecit Virgilius, quod facit et Medicus.

AD QUANDAM GLORIOSAM.

Uxori similis Menelai sis, vel Ulyssis,
Si cupis a sera posteritate coli;
Vivit enim vitium post funera, non modo virtus:
Vivit adhuc Helene, non modo Penelope.

A BAWLING ASS.

Non ego te quemvis asinum voco, Mome; sed illum,
Cujus erat sessor Pseudo-propheta Balam;

Non illum, Solymam Dominum qui vexit in urbem:
Mutus hic et mitis nam fuit; ille loquax.

AD PONTICUM, J. C.

Uxori partem vivis, partemque clienti
Aetatis; vives, Pontice, quando tibi?

DE SUIS HAEREDIBUS. AD JURISCONSULTOS.

Nemo sua certus de conjuge, praeter Adamum;
Deque suo nemo conjuge, praeter Evam.

Conjugibus, misero praesertim (in amore) marito,
Solati superest quid, nisi sola fides?

A HOLLOW TOOTH.

Injectum flammis me non absumeret ignis;
Saepe cadentis aquae parvula gutta cavat.

A D D. C. G.

Te podagra et podagrae pestis contraria vexant;
Currere te conjux, stare podagra facit.

P O E T A.

Maecenas non verba dabat, sed praemia doctis.

M A G N A S.

Quid dare mi, praeter verba, Poëta potest?

FAMA. ERROR.

Rumor rumores, errores parturit error;
Ut nivis exiguus crescit eundo globus.

SAPIENTIA DUCE, COMITE FORTUNA.

Quod male consultum, cecidit feliciter: Ancus
Arguitur sapiens, qui modo stultus erat.
Quod prudenter erat provisum, si male vortat,
Ipse Cato (populo judice) stultus erit.

UBIQUETARII.

Tota patet tellus inopi, quacunque vagatur:
Pauper in exilio est nullibi; ubique domi.

SERMO.

Sermo voluptati similis, similisque dolori est;
Longus enim levis est sermo, gravisque brevis.

AD LECTOREM.

Qui scribit, laudatur ab his, culpatur ab illis:
Lectoris vultu stat que cadit que sui.
Semper agit causam, nec tempore transiget ullo:
Semper enim sub te, judice, Lector, erit.

DE SEIPSO.

Sunt quidam, qui me dicunt non esse Poëtam,
Et verum dicunt. Cur? quia vera loquor.

THE WORLDS DUNGEON.

Carceris est instar Tellus, quasi moenia coelum,
Custos peccatum; Vincula quae? Mulier.

AN PETRUS FUERIT ROMAE.

An Petrus fuerit Romae, sub judice lis est;
Simonem Romae nemo fuisse negat.

IN QUINTUM SOMNIATOREM.

Audivi te saepe querentem et mane dolentem,
Quinte, quod in somno nil ita cernis, ut est.
Quid mirum, qui sola diu mendacia dicis,
Si nunquam nocti somnia vera vides?

AD LIGURINUM.

Uxorem, Ligurine, tuam colit Atrius: alter
Sementem fecit; sed tua messis erit.

IN COTTAM.

Praeceptum observat Paulinum in conjuge Cotta;
Cotta habet uxorem sic quasi non habeat.

IN GALATEAM.

Cervus, uti perhibent, mutat ramosa quotannis
Cornua: quottidie vir, Galatea, tuus.

IN AULUM.

Seu gravior lecto morbus te affixerit, Aule,
Sive cavus doleat dens, stupidumve caput,
O utinam in coelis essem! tibi dicere mos est:
Dicunt heredes non minus: O utinam!

IN CORNELIUM.

Cornutum te, Corneli, scis esse, tacesque:
Non Cornelius es tu modo, sed Tacitus.

AD, IN, DE.

In libris tria verba meis celebrantur: Ad, In, De:
DE docet, ~~AD~~ dignos laudat, et IN lacerat.

Non sunt quod lites Epigrammata nostra,
nec autor
Quod sub causidico vociferante oliens.
Nemo potest versus (nec tanta potentia regum)
Vel servare malos, vel jugulare bonos.

RECENTIORUM
POETARUM
SELECTA CARMINA

EDIDIT

CAROLUS POPPO FROEBEL,

DOCT. PHILOS. ET TYPOGRAPHUS.

VOLUMEN II.

HIERONYMI VIDAE SCHACCHIA LUDUS.
CASP. BARLAEI VIRGO ANDROPHOROS.

RUDOLPHOPOLI
1821.

HIERONYMI VIDAE

SCHACCHIA LUDUS

QUEM

LUDENDI PERITIS

UNA CUM

IAC. BALDE

LUDO PALAMEDIS

APERUIT

CAR. POPPO FROEBEL.

SCHACCHIDIS AMATORIBUS.

Inter innumeros ludus, quibus tum sollertes viri post strenue peractum opus levamen animis parare, tum otiosi nugatores non tempus, verum semet ipsos, fallere satagunt, SCHACCHUS, cujus vocis vim latrunculorum lu*dus vix assequatur, apud optimum quemque ob antiquissimis inde temporibus primum obtinuit locum.*

Nec immerito. Quemadmodum enim longe plurimis ludis fors fortuna *praeest, ita parum aut nihil in hoc isti tribuendum. Ab ingenio, diligentia et industria omnia proficiscuntur commoda: fatuitate, levitate, secordia omnia perverturtur. Fortissimis itaque Principibus hunce ludum vere regium nunquam non in deliciis fuisse quis miretur, quandoquidem imperandi bellandique speculo quodam hoc sibi viderentur usuri? Pari favore docti homines ipsum amplecti consueverre, quippe qui, reliquarum oblectationum vanitatem dedignati, solum istum ludum otio suo dignum judicarent.*

Diuicienti ergo mihi de scripto, quod loco dignum corollae meae insererem, nil gratiùs accidére potuit, quam ut ab amico doctissimo elegans Vidae *poëma mihi demonstraretur. Instituta mox lectione, quamquam metra hinc inde minus absoluta videbantur, nec latinitas ubique satis castigata, nihilo secius lepos, quo ingeniosissima certaminis narratio perfusa, me vicit, ut, superhabitis reliquis, ad opus satis rarum accederem recudendum.*

Ab alio item viro doctissimo monitus de I. Balde LUDO PALAMEDIS, *carmen hoc*

diversitate maxime placiturum haud despero. Valete, candidi lectores, et conatibus meis favore pergite. Scrib. Rudolphopoli, d. 24. Oct. 1820.

LUDIMUS effigiem belli, simulataque veris
Proelia, buxo acies fictas, et ludiera regna,
Ut gemini inter se reges, albusque niger-que,
Pro laude oppositi certent bicoloribus armis.
Dicite, Seriades Nymphae, certamina tanta
Carminibus prorsus vatum illibata priorum.
Nulla via est: tamen ire juvat, quo me rapit ardor,
Inviaque audaci propero tentare juventa.

Vos per inaccessas rupes, et inhospita, euntem
Saxa, Deae, regite, ac secretum ostendite callem.
Vos hujus ludi in primis meminisse necesse est,
Vos primae studia haec Italis monstrastis in oris
Schacchidis egregiae monumentum insigne soporis.

Juppiter Aethiopum sedes et Memnonis arva
Iverat, Oceani mensas dignatus amici,
Qui sibi tum optatis junxit Tellurem Hymenaeis.
Adfuit una omnis superûm chorus: omnia festo
Aequoris immensi resonabant littora plausu.

Ut dapibus compressa fames, mensaeque remotae,
Quo superûm mentes ludo mulceret inani,
Oceanus tabulam adferri jubet interpictam,
Sexaginta insunt et quattuor ordine sedes,
Quatono parte ex omni via limite quadrat
Ordinibus paribus, nec non forma omnibus una
Sedibus, aequale et spatium, sed non color unus.
Alternant semper varie, subeuntque vicissim
Albentes nigris, testudo picta superne
Qualia devexo gestat discrimine tergo.
Tum superis taciteque secum mirantibus inquit:
Marti aptam sedem, ludicraque castra videtis,
Hoc campo adversas acies spectare licebit.
Oppositis signis belli simulacra ciere,

Quae quondam sub aquis gaudent spectacla tueri
Nereides, vastique omnis gens accola ponti,
Si quando placidum mare et humida regna quierunt.
En vero simulata adsunt qui proelia ludant.
Sic ait, et versa in tabulam depromsit ab urna
Arte laboratam buxum, simulataque nostris
Corpora, torno acies fictas albasque nigrasque,
Agmina bina pari numeroque et viribus aequis,
Bis nivea cum veste octo, totidemque nigranti.
Et variae facies, pariter sunt et sua cuique
Nomina, diversum munus, non aequa potestas:

Illic et reges paribus capita alta coronis,
Et regum pariter nuptas in bella paratas
Cernere erat, sunt qui pedibus certamina iniro
Sueti, sunt et equis qui malint, quique sagittis,
Nec deest quae ferat armatas in proelia turres
Bellua, utrimque Indos credas spectare Elephantes.
Jamque aciem in versum statuunt, structaeque cohortes
Procedunt campo, castrisque locantur utrisque.
Linea principio sublimes ultima reges
Parte utraque capit, quartis in sedibus ambos
Tracta eodem adversos inter se, sex tamen aequis

In medio sedes spatiis hinc inde relictae.
Sede albus sese nigra tenet, ater in alba.
Proxima reginas capit orbita, regibus ambae
Haerent quaeque suo, dextrum latus altera, laevum
Altera lege datis tangunt stationibus, atrumque
Atra tenet campum, spatio stat candida in albo,
Et proprium servant prima statione colorem.
Inde sagittiferi juvenes de gente nigranti
Stant gemini, totidem pariter candore nivali,
Nomen Areïphilos Graji fecere vocantes,
Quod Marti ante alios cari fera bella lacessant.
Continuo hos inter rex, nec non regia conjux

Claudantur medii: duo dehinc utrimque corusci
Auratis equites sagulis, cristisque decori
Cornipedes in aperta parant certamina Martis.
Tum geminae velut extremis in cornibus arces
Hinc atque hinc altis stant propugnacula muris,
Quas dorso immanes gestant in bella Elephanti.

Postremo subeunt octo hinc atque inde secundis
Ordinibus pedites, castrisque armantur utrisque
Armigeri partim regis, partimque ministrae
Virginis armisonae, quae prima periculi belli

Congressusque ineant primos, pugnamque lacessant.
Non aliter campis legio se huxea utrimque
Composuit duplici digestis ordine turmis,
Adversisque ambae fulsere coloribus alae,
Quam Gallorum acies alpino frigore lactea
Corpora si tendant albis in proelia signis
Aurorae populos contra, et Phaëthonte perustos
Insano Aethiopas, et nigri Memnonis alas.
Tum pater Oceanus rursus sic ore locutus:
Caelicolae, jam quasnam acies, quae castra videtis,
Discite nunc (neque enim sunt haec sine legibus arma)
Certandi leges, nequeant quas tendere contra.

Principio alterni reges in proelia mittunt
Quem pugnae numero ex omni elegere suorum.
Si niger arma ferens primus processit in aequor,
Continuo adversum semper se candidus offert,
Nec plures licet ire simul facto agmine in hostem.
Propositum cunctis unum, studium omnibus unum
Obsessos reges inimicae claudere gentis,
Ne quo impune queant fugere, atque instantia fata
Evitare, etenim capiunt ita proelia finem.
Haud tamen interea cunctis obstantibus ultro
Rerunt, sed citius quo regem sternere letho

Desertum evaleant, caedunt ferro obvia passim
Agmina, rarescunt hic illic funere semper
Utraque castra novo, magis ac magis area belli
Picturata patet, sternuntque caduntque vicissim.
Sed caedentem opus est sublati protinus hostis
Successisse loco, et conatus vindicis alae
Sustinuisse semel, mox si vitaverit retusi,
Inde referre licet se in tutum praepete planta.
At pedites prohibent leges certaminis unos,
Cum semel exierint, (facilis jactura) reverti.
Nec vero incessus cunctis bellantibus idem,
Pugnandive modus: pedites in proelia euntes

Evaleant unam tantum transmittere sedem,
Inque hostem tendunt adversi, et limite recto.
Congressu tamen in primo fas longius ire,
Et duplicare gradus concessum, et comminus hostem
Cum feriunt, ictum obliquant, et vulnera furtim
Intentant semper lateri, cavaque ilia caedunt.

Sed gemini claudunt aciem qui hinc inde Elephanti,
Cum turres in bella gerunt, ac praelia miscent,
Recta fronte valent dextra, laevaque, retroque
Ferre aditum contra, campumque impune per omnem

Proruere, ac totis passim dare funera castris.
Ne tamen obliquis occultent nixibus ictum:
Qui tantum mos concessus pugnantibus arcu
Dilectis Marti ante alios, nam semper uterque
Fertur in obliquum spatiis nigrantibus alter,
Alter candenti semper se limite versat,
Directisque ineunt ambo fera bella sagittis,
Nec variare licet, quamvis fas ire per omnem
Hinc atque hinc campum, atque omnes percurrere sedes.
Insultat sonipes ferus, atque repugnat habenis.
Nunquam continuo stipata per agmina ductu

Procurrit, tantum sursum sese arduus effert
Semper, et in gyrum gressus magno impete lunat
Curvatos, duplicemque datur transmittere sedem.
Si nigrante prius campo expectaverit, album
Mox petere, et sedis semper mutare colorem
Lex jubet, ac certo semper se sistere saltu.
At regina furens animis, pars optima belli,
In frontem, in terga, ac dextram, laevamque movetur,
Itque iter obliquum, sed semper tramite recto
Procedit, neque enim curvato insurgere saltu

Cornipedum de more licet, non terminus olli,
Nec cursus meta ulla datur: quocumque libido
Impulerit, licet ire, modo ne ex agmine quisquam
Hostilive suove aditus occludat eunti.
Nulli etenim super educto fas agmina saltu
Transsiliisse, equiti tantum haec concessa potestas.

Cautius arma movent gentis regnator uterque,
In quibus est omnis spes ac fiducia belli.
Omnibus incolumi rege stat cernere ferro,
Sublato pugna excedunt, et castra relinquunt:
Ille adeo in bello captus secum omnia vertit.

Ergo haerens cunctatur, cum venerantur et omnes,
Agmine circumstant denso, mediumque tuentur.
Utque armis saepe eripiant, sua corpora bello
Objiciunt, mortemque optant pro rege pacisci.
Non illi studium feriendi, aut arma ciendi;
Se tegere est satis, atque instantia fata cavere:
Haud tamen obtulerit se quisquam impune propinquum
Obvius, ex omni nam summum parte nocendi
Jus habet, ille quidem haud procurrere longius ausit,
Sed postquam auspiciis primis progressus ab aula

Mutavit sedes proprias, non amplius unc
Ulterius fas ire gradu, seu vulneret hostem,
Seu vim tela ferant nullam, atque innoxius erret.
Hic mos certandi, haec belli antiquissima jura.
Nunc aciem inter se certantes cernite utramque.
Sic ait: at quoniam, quoties fera bella fatigant
Mortales, superi studiis diversa foventes
Ipsi etiam inter sese odiis bellantur iniquis,
Maximaque interdum toto ardent praelia caelo,
Juppiter omnipotens solio rex fatus ab alto
Omnis abstinuisse jubet mortalibus armis,
Atque minis, ne quem foveant, perterret acerbis.

Tum Phœbum vocat intonsum, Atlantisque nepotem
Egregium furto peperit quem candida Maia,
Insignes ambos facie, et florentibus annis.
Nondum Mercurius levibus talaria plantis
Addiderat, nondum Titania lumina agebat
Per liquidum curru gemmato Phœbus Olympum,
Tantum humeros pharetra insignis, et crinibus aureis.
Hos pater adversis solos decernere jussit
Inter se studiis, et ludicra bella fovere,
Ac partes tutari ambas, quas vellet uterque.
Nec non proposuit victori praemia digna.
Di magni sedere, Deûm stat turba minorum
Circumfusa: cavent sed lege, et foedere pacto,

Ne quisquam voce, aut nutu ludentibus ausit
Praevisos monstrare ictus. Quem denique primum
Sors inferre aciem vocet, atque invadere Martem,
Quaesitum, primumque locum certaminis albo
Ductori tulit, ut quem vellet primus in hostem
Mitteret, id sane magni referre putabant.
Tum tacitus secum versat quem ducere contra
Conveniat, peditemque jubet procedere campum
In medium, qui reginam dirimebat ab hoste.
Ille, gradus duplices superat, cui tum arbiter ater

Ipse etiam adversum recto de gente nigranti
Tramite agit peditem, atque jubet subsistere contra
Advenientem hostem, paribusque occurrere in armis.
Stant ergo adversis inter se frontibus ambo
In mediis campi spatiis, ac mutua tentant
Vulnera nequidquam, neque enim vis ulla nocendi est
Armigeris, tractu dum miscent proelia eodem.
Subsidio socii dextra, laevaque frequentes
Hinc atque hinc subeunt, late et loca milite complent.
Alternantque vices, necdum tamen horrida miscent

Proelia, sed placidus mediis Mars ludit in armis,
Excursusque breves tentant, tutique tenent se.
Jamque pedes nigri rectoris, qui prior hostem
Contra iit, obliquum laeva clam strinxerat ensem,
Atque album e mediis peditem citus abstulit armis,
Illiusque locum arripuit praestantibus ausis.
Ah miser, instantem lateri non viderat hostem!
Ipse etiam cadit, et pugnas in morte relinquit.
Tum cautus fuscae regnator gentis ab aula
Subduxit sese media, penitusque repostis

Castrorum latebris extrema in fauce recondit,
Et peditum cuneis stipantibus abditus haesit.
Nec mora, surgit eques bellator laevus utrimque,
Et mediis hinc inde insultant coetibus ambo,
Alternique ruunt, et spargunt fata per hostes.
Sternuntur pedites passim, miseranda juventus,
Quod nequeant revocare gradum, sonat ungula campo
In medio, et totis miscentur funera castris.
Dirus vero peditum intentus Latonius heros
Caedibus instat atrox, equitemque per agmina versat

Vastatorem alae piceae; longe Arcade ma-
jor
Ardor agit tacitis jamduduin invadere furtis
Magnum aliquid, peditumque ultra saepe
obvia transit
Agmina, cornipedem ducens in proelia
laevum,
Qui regi insidias tendens huc vertitur at-
que huc,
Per mediosque hostes impune infraenis ob-
errat.
Constitit, optataque diu statione potitus
Lethum intentabat pariter regique, Ele-
phantique,
Alae qui dextro cornu turritus in auras
Attollens caput ingenti se mole tenebat.
Delius ingemuit clauso succurrere regi
Admonitus: namque indefensum in morte
Elephantem

Linquere se videt, atque ambos non posse periclo
Eripere, et fatis urgeri cernit iniquis.
Cura prior sed enim est trepidum defendere regem,
Quem rapit in dextrum latus; at niger emicat ense
Stricto eques, et magnis Elephantem intercipit ausis,
Damnum ingens: neque enim est saevae post virginis arma
Bellantum numero ex omni magis utilis alter.
Non tamen impune evades, ait acer Apollo,
Et peditum cuneis, densaque indagine cingit.
Ille igitur trepidare metu, certique pericli
Frustra velle fugam, nam hinc fata minatur Amazon,

Inde obstat conserta phalanx: tandem altius acto
Virginis ense cadit, pulchrae solatia mortis.

Aestuat alba cohors latere heu minus utilis uno,
Et magis atque magis furit acri accensa dolore.
Sicut ubi dextrum taurus certamine cornu
Amisit, dum se adverso fert pectore in hostem,
Saevior in pugnam ruit armos sanguine, et alte
Colla animosa levans: gemitu omnis silva remugit:
Talis erat facies, caesi post fata Elephantis,
Candentis turmae, hinc furiis majoribus ardet

Phoebus, et ultrices hortatur in arma cohortes,
In ferrum et caedes pronus, cupidusque nocendi,
Incautusque ambas perdit sine lege phalangas.
Dumque hostes pariter cernat procumbere victos,
Ipse suos morti indefensos objicit ultro.
Mercurius melior furto cunctatur, et haerens
Usque alium ex alio spectando praevidet ictum.
Saepe ille ex longo meditatus fata superbae
Reginae peditem perdendum comminus effert,
Dissimulatque dolos, mox poenitet, et trahit alto
Improbus, errorem fingens, suspiria corde.

Jamque sagittiferi de dextro spicula cornu
Virginis in latus albentis tendebat; id hostis
Haud primum sensit, peditemque trahebat in atram
Laeva aciem, rerum ignarus. Verum improba cladem
Et tantas Erycina Venus miserata ruinas,
Incauto juveni furtim tacito innuit ore,
Atque oculis (Phoebo nam forte adversa sedebat).
Nulla mora: ad nutus divae tremefactus Apollo
Constitit, atque oculis late agmina circumspexit,
Et subito insidias sensit, peditemque retraxit,

Quem contra impulerat dextra impiger, atque periclo
Reginam eripuit; tum Maia Atlantide cretus
Littoreum caveae consessum vocibus implet,
Reginam captam ingeminans, fremit undique turba
Caelicolûm studiis variis, seseque tuetur
Phoebûs, et his alto fatur de littore verbis:

Quae porro invidia est dextram ludicra petenti
Praemia corrigere incautam, in meliusque referre,
Cum nec pacta vetent? Quod si, Maia sate, posthac
Id sedet omnino prohiberi, lege caveto,

Quique prior fuerit digitis impulsus in hostem,
Sive albus, piceusve fuat, discrimine nullo
Ille eat, et dubii subeat discrimina Martis.
Dixit, et haec tuto placuit sententia circo
Caelicolis. Venerem obtutu clam versus acerbo
Juppiter increpuit, nec sensit filius Arcas.
Sed puer ingemuit labefactus corda dolore
Ingenti, vix se tenuit, quin ludicra castra,
Injectisque acies manibus confunderet ambas.
Tum secum statuit furtis certare dolisque
Omnibus, ac totis fraudes innectere castris.
Jam tum igitur juvenem pharetratum in proelia ducens
Cornipedis simulare gradus jubet, ocius ille
Emicat, atque albae reginae fata minatur.

Non Phoebum latuere doli, subrisit, et ora
Versus ad astantes: Quamvis accommoda furtis
Mercurio sit dextra, inquit, fraudique dolisque;
Callide Atlantiada, invigiles, haud me tamen ultra
Fallere erit: jamque improbe iniquam corrige dextram.
Spectantum eunei ingenti risere theatro,
Atque Arcas, veluti deceptus imagine falsa,
Submisit buxum concesso in proelia gressu
Arcum intendentem, vigilat jam cautus Apollo
Fraudesque insidiasque timens occultaque furta.
Ille etenim persaepe, manu dum ducit in hostes

Alternam buxum, jus contra et foedera pacta
Implicitans celeres digitos duo corpora bello
Objiciat simul, observet nisi providus hostis.

Jamque equitem contra nigrantem candidus arcum
Intendens sese opposuit pharetratus, et arcet
Reginae jugulo intentum, tum dexter oberrat
Huc atque huc Elephas, niveisque exsultat in armis.
Haeserat in medio, dominae regique minatus
Albus eques ratus impune, et jam sorte superbus

Nequidquam spoliorum animum pascebat amore.
Non tulit hanc speciem juvenis pharetratus, et arcu
Contendit calamum, seseque immittit in hostem,
Fata licet pedes intentet, moriturus in armis
Insigni pro laude, alvo mediae haesit arundo
Stridula, et ima chalybs descendit in ilia adactus.
Volvitur ille excussus humique, et calcibus auras
Verberat: in ventos vita indignata recessit.
Inde sagittiferum sternit pedes, hunc pedes alter
Hostili de plebe necat, pugna aspera surgit.

Turribus occurrunt ingenti mole Elephanti:
Saeva pharetrigeri contendunt spicula nervis,
Quadrupedumque gemit bicolor sub verbere campus.
Invaluere animi parte ex utraque, et in armis
Concurrunt densi, simul omnis copia gentis
Albaeque, en, piceaeque dacres, ambaeque phalanges,
Confusaeque acies magno certamine totis
Densantur campis, virtus, fortunaque in unum
Conveniunt, hi nunc victores agmina versa
Aequore agunt toto, versis referuntur habenis

Nunc iidem, variantque vices, et fluctuat omnis
Area bellorum: vasti velut aequoris undae,
Si quando inter se recluso carcere saeva
Bella cient animosi Euri, vertuntque profundum.
Ionio in magno, aut undisono Atlantico,
Altemos volvunt procurva ad littora fluctus.
At medias acies inter crudescit Amazon
Candida, plena animis, multisque in millibus ardet.
Namque sagittiferum incursans, rediensque Elephantem
Nigrantes sternit, dextra laevaque per alas
Fulminat, atque manu spargens hastilia saevit.

Bellanti dant tela locum, retroque residunt
Hinc atque hinc inimicae acies: per tela, per hostes
Illa ruit pulchram in mortem, simul ultima tentat
Castra fugae fidens, animosque in bella viriles
Saeva gerit: penetrat cuneos, aperitque viam vi.
Tandem fusca cohors, nigrantisque arbiter alae
Ipse etiam arma suae trepidus, viresque, animosque
Virginis implorat: nulla est mora, fervida Amazon
Emicat, atque ardens paribus se sistit in armis.
Quem primum hasta, aut quem postremum, bellica virgo,

Demetis, aut quot humi candentia corpora linquis?
Semianimes volvuntur equi niveique nigrique,
Et peditum cunei, dilectaque pectora Marti
Aligera juvenes incuntes bella sagitta.
Quis cladem fando illius, quis funera pugnae,
Prostratosque duces speret se aequare canendo?
Sternitur omne solum buxo, atque miserrima caedes
Exoritur, confusa inter sese agmina caedunt,
Implicitaeque ruunt albae nigraeque phalanges.
Sternuntur pedites, et corpora quadrupedantum.
Nam versae inter se jactantes mutua tela

Femineis ambae nituntur Amazones armis,
Usque adeo certae non cedere, donec in auras
Aut haec, aut illa effundat cum sanguine multo
Saevam animam, sola linquentes proelia morte.

Interea amborum populorum rector uterque
Captivos hostes et victa cadavera bello
Carcere servabant castris vicina, caventes
Ne capti semel, aut obita jam morte jacentes
In vitam revocati iterum certamina inirent.

At lateri innixus Phoebeo Threïcius Mars

Junctus amicitia puero Arcadi, si quid amico
Fata sinant prodesse, animum per cuncta volutat,
Observatque omnes casus: tum corpora bina
Capta, pharetratum juvenem, peditemque nigrantes
Coetibus e functis jam vita, atque aethere cassis
Surripit, et castris clam rursum immittit apertis.
Ergo iterum gemini captivi proelia ibant,
Miscebantque manus animosi, atque arma ferebant.
Haud secus (ut perhibent) cum Colchis nacta cadaver,
Aut virgo Massilla recens, cantuque triformem

Saepe ciens Hecaten, ac magni numina Ditis,
Falsam animam insinuat membris, aurasque loquaces,
Continuo erigitur corpus, loquiturque, videtque,
Et vivos inter fruitur coelestibus auris.

Non tulit indignum facinus Junonia proles
Mulciber, (ille dolum solus deprendit), et ore
Inclamat, Phoebumque monet, Thrax palluit heros
Deprensus, Phoebo exarsit dolor ossibus ingens.
Tum Marti pater omnipotens iratus iniqua
Praesidia abduci, atque indebita corpora bello

Protinus e castris jubet, atque retexere falsos
Hinc atque inde ictus, et cuncta in pristina reddit.
Jamque duces furiis ambo majoribus instant,
Reginasque ambas conversa per agmina mittunt.
Caede madent illae, toto aequore fata serentes.
Considunt tandem obversae, regesque tuentur
Quaeque suum; ecce autem bellatrix agminis albi
A tergo ferro invasit stravitque nigrantem
Ignaram, verum ipsa etiam cadit icta sagitta,
Ah misera, et spoliis haud longum exsultat opimis.

Convertere oculos ambae hinc atque inde cohortes,
Atque acies lacrymis et foemineo ululatu
Ambas incubuisse putes, dum funera ducunt.

Tum reges maestos ipsa ad praetoria densi
Agglomerant sese circum: timor omnibus idem
Incumbit: par tempestas, par hausit utrosque
Diluvium populos, et sunt sua funera cuique.
Haud prorsus tamen ambobus defecerat omne
Robur, opes restant, et adhuc intacta juventus;
Tres pedites tibi, Phoebe, sagittifer alter, et ingens

Bellua turrito dorso, totidemque tibi Arcas,
Excepto Elephante, alta qui nuper in aula
Pace fruens cecidit positis inglorius armis
Eminus aligera percussus arundine pectus.
Sed dexter tibi restat eques imperditus, hausit
Caetera bellantum Mars impius agmina, bellique
Alea, florentes et desolaverat aulas.
At Cyllenaeo juveni spes occidit omnis,
Aestuat amissae gentis memor, est suspirat
Heroas magnos, tot fato corpora functa.
Non tamen excedit pugna, fracta agmina bello
Relliquias tenues immitis Apollinis astu
Cautior in pugnam mittit, post funera tanta

Si qua fata sinant gentis sarcire ruinas.
It nigrum campis agmen, stat ubique morari,
Fortunamque omnem tentare, aditusque nocendi.

Exsultat contra non aequo proelia motu
Cynthius invadens: facies indigna cohortum,
Heu facies miseranda ducum, raro agmine aperta
Castra patent late, viduatae et civibus aulae.

Maerebant vacuis thalamis regnator uterque
Jamdudum exosi sine conjuge taedia lecti.
Primus amor maneat quamvis immotus utrisque,

Sors tamen ad nova conjugia, atque novos hymenaeos
Flectit iniqua, igitur primum rex agminis albi
Reginae comites olim, fidasque ministras
Regali invitat thalamo, quae funera maestae
Post fera bellatricis herae tela irrita bello
Jactabant acies inter, cuneosque nigrantes
Oppetere amissae dominae pro caede paratae.

Sed prius explorare ausus sedet, atque viriles
Cunctarum spectare animos, ut digna cubile
Intret, in hostiles sedes, atque ultima castra.

Hortaturque, jubetque supremam apprendere metam.
Nulli fas etenim regis sperare cubile,
(Pacta vetant) nisi quae per tela invecta, per hostes
Transactis spatiis cunctis, impune suprema
Attigerit prius adversi penetralia regis.
Arrexere animos famulae, pariterque per hostes
Limitibus properant rectis, tamen ocior ante it
Tertia, quam dextro ducebat semita cornu,
Exsultatque, agitatque animo connubia regis.
Nam comites spe sublapsa cessere volentes.
Illa volat coeptis immanibus, addidit alas
Gloria praepetibus plantis, et plurima merces.

Nulla obstat mora, nec facinus prohibere tyranno
Cura nigro est, novaque ipse etiam connubia tentat,
Et vacuis thalamis alias inducere nuptas.
Ergo iter alternae accelerant, famulamque sinistram
Quarto limite agit, saltu sed tardior uno
Parrhasius juvenis, jamque imperterrita virgo
Candida facta potens voti penetraverat omnes
Sedes, atque alacris meta consederat alta.

Tum rector jubet afferri sellamque, tiaramque,
Extinctae ornatus, nec non fulgentia sceptra,

Dignaturque toro meritam, optatisque hymenaeis
Gaudet cana cohors, insultatque eminus atrae.
Haud lacrymas cohibet Maia satus, aethera voce
Incessans, pictosque a pectore rupit amictus.
Nigranti famulae tantum gradus unus ad ipsam
Restabat metam, ah miserae, sed limite recto
Turritus fera fata Elephas impune minatur
Insurgens si supremam contingere sedem
Audeat, et toto castra obsidet ultima tractu,
Et pavidam observans extremis sedibus arcet.

Interea nova regali dignata virago
Connubio exsultans, toto dat funera campo,
Illam tollit honos novus et fortuna tumentem.
Fulminis in morem ruit, atque nigrantia saevit
Castra per, et sedes, ac sidera territat armis.
Horrescunt faciem invisam nigra agmina crudae
Virginis, atque imae exoptant telluris hiatus.
Diffugiunt trepidi vasto irrumpente fragore
Hoste, metuque omnes acti glomerantur in unum
Aulai in medio juxta latera ardua regis.

Haud secus alta boves sparsae per pascua quondam,
Ut sensere lupum venientem, protinus omnes
Conveniunt trepidae, et fortem facto agmine taurum
Ductorem armenti implorant, ipsique propinquant
Certatim inter se trudentes cornua rauco
Murmure: mugitu longe nemora alta resultant.
At regina furens trepidos toto agmine victrix
Impingens in terga, ipsique ante omnia regi
Fata parans, pugnas alta ad praetoria miscet,
Nunc ruit huc, nunc huc, tunc et, nisi laeva fuisset

Mens illi, poterat candentem invadere sedem
Limite in obliquum quarto, et concludere fauces.
Ultimus ille labor regi, gentique fuisset
Nigranti, et fatis Arcas lugeret iniquis.
Nempe erat hinc lethi facilis via in ilia regis,
Nec poterat quisquam se tantae opponere cladi.
Sensit Atlantiades tacitus, dubioque tremebant
Corda metu: accelerare hostem jubet improbus, ictum
Ne videat, verbisque rapit per inania mentem,
Castigatque moras: adeon' juvat usque morari,

Nec pudor est? quae tanta animis ignavia? sic nos
Increpitas semper cunctantes impiger ipse?
Scilicet expectas, dum nox certamina tollat?
His actus, peditem imprudens dum captat Apollo,
Praeteriit fortunam: alacer vocem extulit astris
Laetitia exsiliens Cyllenius, inde periclo
Regem ipsum eripiens opponit Amazonis armis
Haud invitum equitem, qui saevos arceat ictus.
Tum secum meditans candenti lethum Elephanti,
Qui meta arcebat famulam, ne regis iniret
Concessos thalamos, curvato percalit arcu.
Concidit, atque ictu tellurem bellua vasto

Pulsavit moriens, dum regi intentat Apollo
Nequidquam exitium, tum metam impune ministra
Nigra tenet (nec Phoebus obest) jam regia conjux.

Jamque alacres paribus certamina viribus ambo
Rursum ineunt, nuptasque ferunt in bella secundas.
Tum, quamquam ambiguae spes sint, incertaque belli
Alea adhuc, tamen, ac si palmae certus, et omne
Discrimen positus sit supra, et gaudia ficto
Ore puer Maiae simulat, verbisque superbit
Improbus insultans, astus genus, et sua creber

Vocibus extollens, albae premit arma cohortis.

Quem' sic deprensa juvenis Latonius arte
Increpitat: nondum extremam dubio ultima bello
Imposuit fortuna manum, et jam voce superbis?
Proinde mihi insulta, et tumidis reple omnia verbis,
Certa tuum annuerit tibi cum victoria Martem.
Sed jam nulla mora est, tua nunc nunc irrita faxo
Dicta manu: haec fatus reginam hortatur in hostes.

Continuo exoritur magnum certamen, et ingens

Hinc atque hinc rabies, dum fixum vincere utrisque.
Audentes in tela ruunt, stat multus ubique
Terror, ubique pavor, mortisque simillima imago.
Nituntur cuncti adversi, seseque viro vir
Obtulit, invigilant castris avertere pestem
Quisque suis, hostemque fugant, hostiliaque ipsi
Castra petunt, variantque vices, fortunaque ludit
Spe cupidos, et corda morae impatientia torquet.
Funera spargebat fuscae regina cohortis
Per medias animosa acies, non admula contra
Opposuit sese virgo, sed calle per hostes
Secreto interea regis tendebat ad alta

Limina, dein subito captis custodibus arcis
Irruit, atque aditus irrumpens obsidet aulam,
Intentatque necem regi: tum nigra virago,
Postquam altis vidit canam in penetralibus hostem,
Caede madens strages citò linquit, et imperfecta
Funera, et acta pedem retro exanimata repressit,
Nec timuit mediam se certae opponere morti,
Et patriae, et trepido properans succurrere regi.

Hic aliud majus Phoebo, graviusque dolendum
Objicitur, nam cornipedem Cyllenius atrum
Huc illuc agitans campo insultabat aperto.

Ardet equus, saltuque furit, nec destitit ausis,
Donec reginae pariter, regique minatus
Optatam tenuit sedem, exitioque futurus
Aut huic aut illi, nigrantibus obstitit armis.
Ut vidit, tristi turbatus pectus Apollo
Ingemuit, largusque genis non defuit humor.
Et jam jam labi, atque retro sublapsa referri
Spes omnis, fluxae vires, aversa deûm mens.

Arcas successu exsultans, se munere divûm
Laetus, ovansque, animum vocemque ad sidera tollit,
Et tandem rediit vigor in praecordia victo.
Protinus inclusam feriens sub tartara mittit

Reginam, et spoliis potitur non segnis opimis.
Tantum olli bellator equus cadit ilia fossus
Ultoris ferro regis; nondum tamen exspes
Phoebus abit, sed pugnat adhuc, atque agminis albi
Reliquiae pedites duo, et arcu insignis eburno
Martis amor juvenis nequidquam bella lacessunt.
Audentes facit amissae spes lapsa salutis,
Succurruntque duci labenti in funera: sed non
Talibus auxiliis, nec defensoribus istis
Tempus eget, toto Maia satus aequore saevit.
Instat vi multa nigra virgo, septaque regis

Circuit excidium intentans, hac perfurit atque hac,
Nec requievit enim, donec certamine iniquo
Reliquias gentis candentis, et ultima bello
Auxilia absumpsit, medio rex aequore inermis
Constitit amissis sociis, velut aethere in alto.
Expulit ardentes flammas ubi lutea bigis
Luciferis Aurora, tuus pulcherrimus ignis
Lucet adhuc Venus, et caelo mox ultimus exit.
Nulla salus illi superat, spes nulla salutis,
Non tamen excedit victus, sed claudere sese
Hostiles inter cuneos impune, per enses

Actus avet, donec nusquam spatia ulla supersint
Effugiis, nam si nemo illi fata minetur,
Nec superet sedes, quam impune capessere possit,
Nil tantorum operum impensis foret omnibus actum,
Sed labor effusus frustra, viresque fuissent,
Nec titulos quisquam, aut victoris nomen haberet.
Ergo per vacuas sedes, desertaque castra,
Nunc huc, rursum illuc, incertos implicat orbes
Diffugiens, niger insequitur rex aequore toto,
Atque fugae semper spatiumque abitumque relinquit.
Post ubi supremo tendentem limite gressum

Vidit, reginam sedes servare secundas
Jussit, ab angustis ne se ille abdúcere possit
Ordinibus, tantumque fugae misero ultima restat
Linea, tum sese contra niger aemulus infert
Dux gentis propiore gradu, sedes tamen uno
Alterum ab alterius contactu summovet usque.

Ut vero contra exsultantem victus, et exspes
Constitit invitus, fortunam nacta virago
Extremam insiliit sedem, totoque minatur
Limite, nec misero restat locus amplius usquam.
Tandem illum surgens virgo crudelis in ensem

Immolat, et finem imposuit sors aspera pugnae
Ingenti superum plausu et clamore secundo.

Victor Atlantiades exsultat littore toto
Improbus, et victo insultat, ridetque dolentem:
Quem pater omnipotens ad se vocat, et dat habere
Felicem virgam, qua puras evocet umbras
Pallenti Styge, ut infectum scelus eluit ignis,
Quaque Erebo damnet sontes, et carcere caeco,
Detque, adimatque oculis somnos, et funere in ipso
Lumina lethaeo claudat perfusa sopore.

Mox vero gratum ludum mortalibus ipse
Ostendit deus, et morem certaminis hujus
Italiae primum docuit celebrare colonos.
Namque olim, ut perhibent, dilectum Schacchida, qua non
Inter Seriadas praestantior altera Nymphas,
Compressit ripa errantem, et nil tale putantem,
Dum pascit niveos herbosa ad flumina olores.
Tum bicolorem illi buxum, dedit, atque pudoris
Amissi pretium vario ordine picturatam
Argentique aurique gravem tabulam addidit, usumque
Edocuit, Nymphaeque etiam nunc servat honorem,

Et nomen ludus, celebrat quem maxima Roma,
Extremaeque hominum diversa ad littora gentes.
Omnia quae puero quondam mihi ferre solebant
Seriades, patrii canerem dum ad flumina Serii.

I A C. B A L D E

LUDUS PALAMEDIS.

IN GRATIAM

STAN. CHOSCII HOPHSKAE,

QUO SPECTANTE LUSERAT.

Cur spissos foliis dividimus libros,
Ut magni pateant somnia Socratis?
De nugis hominum seria veritas
Uno volvitur assere.

CHOSCI, nonne vides, quos variet modos,
Quas Fortuna vices mobilis imputet?
Eheu! ludimus et ludimur: impares
Signis, interitu pares.

Adversis validae stant acies viris:
Hinc Tros, hinc Rutuli, versicoloribus
Incincti sagulis. Turrigeri latus
Defendunt geminum boves.

Paullum castra silent, nec tuba protinus.
Miscetur dubiis consiliis timor:
Secretosque Ducum, quos acuunt, dolos
Dispensat patientia.

Et speratus honor. Mox, ubi classica
Diduxere sonum res geritur manu:
Ac ni considerant sub galea comae,
Stent altum rigidae metu.

Dum campus medio panditur aequore,
Decrescunt subitis agmina caedibus.
Vestro, si memorem funera, Rustici,
Stat victoria sanguine.

Vos commune malum, vos luitis scelus.
Vestris, quotquot egent, in vitulis arant.
Ex vestris gladium fingere falcibus
Sollers, vos metit et sata.

Quidquid magnanimo crimine fortiter
Delirant proceres, plectitur ultimus
In pago Corydon: noxa palatii
Exurit sterilis casas.

Aude et tu facinus vilis homuncio;
Ne semper Ducibus victima mugias!
Agrestis etiam quondam animosior
Fungos Gloria respicit.

Tamberlanus erat pastor, idoneus
Permutare pedum frondibus aureis.
Instinus trabeas Ansonii tulit
Armentarius imperi.

Sed quis de medio Capripedum choro
Improvisus adest? quam tacito pede
Transmissas, camuris non sine cornibus,
Obliquat salebras viae!

Parthorum celebrem dissimulat fugam,
Ponens insidias. Iste nigerrimus:
Hunc Romane cave! Sternit, et arietat
Hirquis laeva tuentibus.

Malit quisque tamen non humili manu
Ajacis, Fatui quam trabe ludicra
Cursoris perimi; vulnera saepius
Clava Morio dividit.

Nostri bella queror tristia seculi:
Sub quorum clypeis omne genus furit
Stultorum. Vitiis laxat atrocibus
Mars impune libidinem.

At Regina gradu fertur Amazonis,
Quo se cunque movet; collaque (Feminis
Eheu! cuncta licent) demetit obvia,
Alis fulminis ocior.

Non obsistit eques, non peditum phalanx,
Non frendens elephas. Porus et Hannibal
Succumbunt Veneri: cuncta domat Venus;
Una est fortior omnibus.

Non et quanta valet, semper in hostium
Permittenda globos ire cadentium.
Observatur enim fervida proelii:
Arms non datur unicus.

Magnas vertit opes sexus iniquior,
Inconcessa petens, et nimius sui.
Nam desiderio quem statuit modum
Flammis icta Cupidinis?

Nunquam plena salus, cum mulier regit,
Nunquam tuta satis: quae modo provida
Apparet Tanaquil, mox temeraria
Prodet Fulvia conjugem.

Rex Adraste, pedem tu quoque promove.
Incauto nocuit credere militi
Majestatis onus: qui residet domi,
Absens plurima nesciet.

Tyrannas ipse suas duxit Iulius,
Epirique potens: ipse pericula
Cingentum medius reppulit hostium
Belgarum leo Carolus.

Dum mandata damus, dum Fabii sumus
Tantum dimidii: dum madidi mero,
Unguentisque rosisque otia vendimus:
Jacta est alea Teutonum.

Sed jam tempus equûm frena resolvere.
Lusi: coge meos, *HOPHSKA*, triarios.
Et thecae modico compositam sinu
Buxum conde Laconicam.

Uno pompa loco ludicra Consulum
Lictorumque jaces. Hic capit alveus
Cum gemmis silices, et radiantia
Mistis sceptra ligonibus.

Cur mundi titulis captus inanibus
Sub vano, Juvenis, nomine militas?
Cujus spes fragilis, res brevis, et vitro
Ampullaeque simillima.

Non, si victor ovas, major eris cinis:
Non, si deprimeris victus, eris minor.
Omnes in tumulo vile silent genus.
Ludus vivitur, et sumus.

CASP. BARLAEI

VIRGO ANDROPHOROS

QUAE

CUM SPONSO EGINARDO

IN CONSPECTUM PRODIT

DUCTORE

GAR. POPPONE FROEBEL.

PRAEMONENDA.

Ex ANNULO PRONUBO, quem Iac. Catsius *Belgis fabricaverat, cum ipso* Casp. Barlaeus *et* Corn. Boyus *FACES AUGUSTAS accenderunt ritu Romano: ita quidem,* „ut retento argumento pro lubitu vagarentur „inventis suis, non impediti aut astricti Belgicis ver„sibus Musarum mystae." *Sunt verba praefationis libri admodum rari, quo* „Illustriores nuptiae, a *IAC.* „*CATSIO* antehac Belgicis versibus conscriptae Latino „carmine celebrantur."

In hisce poëmatibus ut omnino multus lepos inest, ita prae ceteris mihi arrisit VIRGO ANDROPHOROS, Emmae, *Caroli Magni filiae, et* Eginardi *scribae amores pertractans. Argumentum namque hoc complurium tam antiquorum quam recentiorum autorum scriptis celebratissimum reapse lectorum animos semper commovit.*

Non curamus quaestionem, an fides historica facto suppetat; illa prorsus a nostro consilio est aliena. Videant historiarum scrutatores, quid de facto statuant: nobis quidem sufficerit, legentium animos narrationis suavitate demulsisse.

Quibus ut illae faces subinde luceant, ni taedium movisse senserimus, erit curae.

Scrib. Rudolphopoli, Cal. Jan. 1821.

Post domitas Alpes debellatosque potentis
Insubriae Latiique Duces, pulsasque feroces
Relliquias Totilae, cum late Sequana terris
Jura daret, fractumque suis compesceret armis
Saxona, Pannoniosque truces, Istrumque Savumque,
Et victus Carolo fasces submitteret orbis:
Risit Amor Venerisque puer, quatiensque pharetram

Et mihi sunt fasces, inquit, mundique potestas
Francorum cum Rege mea est; haec tela facesque
Sceptra domant, regumque mei penetralibus ignes
Luxuriant, tenerosque ruens bellator in annos;
Virgineos mihi subdo sinus; mitrataque cogo
Colla Cupidineae leges perferre tiarae.
Nos quoque, nos Caroli sumus, et non dispare fato
Regnamus, quacunque libet. Si nomina Magni
Victores jactant populi, majora meremur,
Majus opus princeps moveo; si barbarus Hunnus,

Si Gothicae cessere acies et Gallica gaesa
Vandalus et Mysis timuit trepidantibus Albis;
Sentiet aula meae facinus memorabile dextrae,
Sentiet Emma dolos, et fraudibus apta patebit
Virginitas augusta meis, generosa virago
Nubet et insani specimen se dicet amoris,
Veraque scribetur victuris fabula fastis.
Partiar illustres magno cum patre triumphos;
Dumque illi longo devictae ex ordine gentes
Obsequio se quaeque probant, mihi regibus orta
Progenies regumque soror, celebrisque Pipini
Claraque Martelli neptis stipendia lecti

Solvet, et imperii majestatisque suorum
Immemor, exuto quaeret furtiva pudore
Oscula et indigni calamum scriptoris amabit.
Quam risi, cum pulchra Craten Hipparchia conjux
Posceret, et foedi placuisset gratia gibbi,
Decrepitusque senex! quam me moderante Menander
Evasit crudele forum, gladiosque severa
Discussit Tryphosa tuos! quam bella, coëgi
Corpora, cum rigidis Preciosam duceret Astur
Legibus, et lacera erraret per compita palla,
Ignarus prisci decoris! Nunc regia virgo
Concipiet flammas; nostrisque arsura favillis

Implebit terras fama, documentaque mundo
Certa dabit, quam nil timeat securus honorum
Et recti contemptor amor, centumque libido
Nixa dolis; haec fatidicae ventura sorores,
Ista trahent, tetricae fatali pollice Pareae.
Pax erat; et laeto regnatrix Gallia vultu
Se poterat dominoque frui: cum festa per aulam
Apparat ingenti Princeps convivia luxu,
Totaque nobilium resonant palatia plausu,
Magnificas ductura nurus. Mavortia nusquam
Signa, sed Attalicis sternuntur limina mensis,

Et cunctos laxat majestas prodiga fastos.
Non hic thoracum umbones, non fulgere cernas
Terribiles circum clypei septemplicis orbes,
Non gladios stringit bellax vagina minaces.
Omnia proscribunt proceres, in gaudia solvunt
Ignavos animos, horrendaque classica lenes
Demulcent citharae, lituosque obtundit et aera
Blanda chelys, plenisque madent crateribus arma.
Sic, ubi juratos coelum rescindere fratres,
Enceladum, Typhoea ferum, Briareaque dirum

Reppulit ira Jovis: toto se laetus Olympo
Explicuit pater ipse Deûm, curasque metusque
Titanumque minas hilari dissolvit Iaccho.
Mille modis gaudent populi, procerumque ducumque
Diluitur risu gravitas; suspensa superbis
E dapibus vexilla volant, quibus aspera belli,
Prostratas Soraborum acies, arcusque, sagittas,
Oppida capta manu, raptosque ex hoste penates
Pinxerat ingeniosa manus. Mox atria cernas
Larvatis trepidare viris: hic saevus Achillem
Exhibet et ficta Atridem trux adspicit ira.

Ille refert Pyrrhum et flammantes lumînis ignes
Torquet in Andromachen; qualisque animosior olim
Grajugenûm accendit late per littora classes,
Hector adest, quassatque faces; it lenior illis
Antenor comes, atque humeris pia pondera gestans
Troïus Aeneas: sequitur deserta Crëusa
Ascaniusque puer, scelerumque inventor Ulysses,
Palladium dextra attollens. Cui proximus Aiax
Arma videbatur frendens sibi poscere magni
Acacidae, saevusque loquî. Pulcherrima venit

Tyndaris et juxta gradiens famosus adulter,
Attritusque malis Priamus; Cassandra prophetans,
Et nimium infelix Hecuba et Sichaeïa Dido
Ense rigens, raptaque miser Briseide Chryses.

Quae postquam tenuere oculos spectacula, tandem
Prima leves Diana choros et ovantia duxit
Agmina venatrix, stricta quae veste pharetram
Et curvos alte scapulis suspenderat arcus,
Sic imitata Deam; calamis et arundine crinem
Collaque frondifera redimiverat alba corona.
Hano nexis docte manibus comitatur eundem

Turba puellarum, qualis solet esse sororum
Naïadum, vel Maenalii gens innuba Fauni,
Aut procul amoto petulantes Pane Napaeae.
Haec Daphne fuit, haec Crocale, lepidissima juxta
Ibat Callirhöe, Byblisque Hyaleque Rhanisque,
Et quondam in florem Clytie mutata; superbo
Mixtaa ibt Niobe gressu, natasque trahebat
Pone suas. Hic Halcyonen, Syringa, Bathyllam;
Hic Dryopen videas; hic candida subsilit Iphis
Leucothoëque habitum virgo mentita vel Inus,

Ad strepitum citharae summam pulsabat arenam.
Emicuere Deae Charites, Aglaïa plantis
Mobilis, hinc tremula Euphrosyne, facundaque Pitho.
Virginibus totidem, pastorum vestibus omnes,
Occurrant juvenes, quos prisco more sequentes
Pan Deus Arcadiae duxit, cui cornua fronte
Surgebant, vultumque involverat horrida barba.
Montivagam rapuit Dictynnam semicaper Pan,
Juncta fuit Phoebo Daphne, duroque Menalcae.
Callirhoë, Byblis Cauno, Niobenque trahebat

Thyrsis, at Alcidamas Hyalen, Clytienque
Palaemon.
Laeta Rhanis saltat Mopso comes, Halcyo-
nenque
Agrestis flectit Corydon, Syringa Marullus.
Allevat Alcmaeon Dryopen, capit Iphin
Alexis,
Leucothoën Daphnis, sociantur Cycnus et
Ino.
Silenus crasso ductabat ventre modestam
Euphrosynen, Mnliboeus amat concurrere
Pitho,
Aglaïae levipes Cephalus, Crocalaeque Phi-
lemon.
Mira chori facies: nunc intercepta vi-
rili
Corpora Nympharum turbae vestigia certâ
Lege regunt, nunc oppositis stant fronti-
bus omnes

Atque adversa viro virgo est; nunc dextera dextrae
Haeret et attollit generoso brachia motu,
Nunc dimissa manus, quique est; errantque vicissim.
Et dominam mutant pueri dominumque puellae.
Mox sibi desertas repetunt, et quaeque priori
Saltando matrona coit, velut ipsa vagantur
Sidera, jamque student jungi, modo tramite longo
Dissociata micant melius. Lętis area cunctis
Tunditur ad numeros, nunc hic, nunc ille caprizat,
Pesque pedi teritur quarto, rotat ille lacertos

In gyrum curritque trochus; directa moventur
Membra, nec inflexis foede ludibria debent
Poplitibus. Prudens strepitus motusque feroces
Virgo cavet, lenique ferit proscenia saltu,
Inde manus pulsant manibus, feriuntque crepantque
Argute digitis et solo pollice cantant.
Praeludunt litui saltatricesque choreas
Sistra tubaeque regunt, forma est diversa canendi
Et diversa chori: Jam priscum Cordaca saltant,
Jam Lodam, jam Trettanelum, jam Pyrrhica solos
Lassat forma viros rutilisque moventur in armis.

Nunc chorus Eumelia est, nunc mechanicinna Sicinnis,
Hi Samios referunt motus, hi Caristiizant;
Illi Hormum alterni saliunt, Corybantiaque aera
Curetumque modos alii; moresque vetustos
Phaeacum aut varia imitantur Proteа formis,
Aut Salios, aut thyrsigeri modulamina Bacchi.
Quin agiles videas, imitantes omnia, mimos
Currere et exactis pedibus pulsare theatrum.
Hic saliens fodit, hic textoris imagine telas
Projicit, hic faber est, nentique similimus ille.

Calcat fullo togam, fictus vespillo, cadaver
Bajulat, hic grandem saltans vorat ore placentam,
Haec insana furit, titubat paupercula Bauce,
Et saltu petulans Citherea notatur in ipso.
Dumque tacent, oculis, motu, gestuque loquuntur.

Hos inter miris flectebat corpora gyris
Spectantumque oculos aliquis converterat in se
Conspicuus forma juvenis: non pulchrior ulli
Vultus erat, pars quaeque tenax et gnara decori.
Emernit laudis precium; despectior illo
Maeonjis toties celebratus versibus acer
Meriones fuit, et saltandi clarior olim

Arte Neophlemus, poterat per summa volare
Atria saltator velox, et radere visus
Vix tactam feriebat humum, demissa modeste
Hinc manus atque illinc pedibus monstrabat in imis
Ingenii studiique notas, nec doctior alter
Scribere, et eximiis teneram signare papyrum
Lineolis, bibulaeque animum concredere chartae.
Hic Egmardus erat, quem capta cupidine formae
Regia progenies tunc, cum saltaret, amavit,
Et sensit placuisse sibi; tacitumque sub alto

Igne facit votum et vehementius aestuat Emma,
Tunc cupiat peccare et basia figere membris
Mobilibus doctisque regi; circumdare collo
Brachia, complectique virum; quin sanguinis odit
Nomina splendoremque sui, titulosque decusque
Ipsa suum metuit, vellet contemptior esse,
Nec regum prognata domo, fastigia regni
Demissus declinet amor, fastusque potentum
Negligat, ut tali fiat magis apta marito.
Spes tamen obscoenas inconcessosque hymenaeos
Non audet populisse animo, resoluta quiete
Expetit absentem, non primo avellere amori

Noxque diesque queunt miseram. Cum fusa per herbas
Mane suburbanos discincta perambulat hortos,
Saltantis versat speciem; cum clara pyropo
Limina conscendit, centum stipata puellis,
Spectat inexpleto gradientem pectore formam,
Conspicuasque genas, et mascula membra, decorque
Oris, et inganuo gratum candore ruborem,
Omnia miratur, quae viderat, omnia jactat
Et majora putat, fingit sibi somnia, fingit
Tangere se juvenem, visa est sibi jungere corpus.

Corpori et erubuit, tandemque ita mente profatur:

Emma, quid est? cur grata viri saltantis imago est?
Nec concessa probas? cur haec tibi foedera demens
Promittis, gestisque frui tam dispare lecto?
Num par huic diadema toro est? num tanta potestas
Contempti scriptoris erit? si filia magni
Non essem Caroli, possem non aegra potiri.
Nunc quia sum, juvenis non est meus, ipsaque damno
Est mihi majestas, plebeja beatior essem,
Et fruerer votis felix. Quam nomina vellem
Mutari mea posse mihi! quam stemmata vellem

Esse minora mihi, aut lumen praelustrius illi!
Tunc, Eginarde, tuo poteram natus esse parenti,
Tunc, Eginarde, meo poteras gener esse parenti.
Omnia tunc cuperem fieri communia nobis,
Osculaque et lusus et quae sperantur amanti.
Non tamen hic nostro de corde fugabitur ignis.
Uror amore tui, causas circumfero mecum,
Et veluti candens Phoebo surgente pruina
Solvitur, aegra tuis sensim tabesco favillis,
Attenuorque, vigor solitus viresque fatiscunt,

Dum fecunda meo praebes alimenta furori,
Quid faciam? roger, anne rogem? si primus amares,
Possem casta aequi, flammasque repondere flammis,
Et votis aequa esse tuis: nil tale potentem
Aggrediar prior? et poscam, quae poscere fas sit?
Te potius? poterisne loqui, poterisne fateri,
Emma, faces? non illa placent, confunderet horrens
Ora pudor; potius, quae nescit muta pudere,
Littera secreto fallet praecurrat amori.
Sic ubi Demophoon ventis promissa dedisset,

Per mare, per terras testatur epistola luc-
tum
Phyllidis, absenti scripsit Briseis Achilli,
Pegasis Oenone Paridi, regalis Oresti
Hermione, et pulchro Sappho lasciva Phaoni.
Haec etiam nostrae sedit sententia menti.
Arte nova prodendus amor, non eloquar audax
Sensa, per ambages iho, fictisque dolose
Fraudibus ignarum aggrediar, concessit amanti
Multa Venus, prudensque caret simulatio culpa.
Quid liceat spectare, senum est; fas omne nefasque
Expendant, qui sceptra gerunt, temeraria dici

Cypris amat, nunquam timidi statuere tro-
phaeum,
Et toti trepidus populo ridetur amator.
Dixit: et hinc dextra calamum chartamque
sinistra
Arripit, et jamjam cupiens meditata no-
tare,
Scribere formidat, tremit, incipit, abjicit
excors
Et rursum repetit tabulam, gaudetque do-
letque,
Et delet scribenda iterum; scribitque vi-
cissim,
Quae delcta volet. Sic fluctuat, ambigit
anceps,
Sic animi pendet, donec secura pudo-
ris
Audet verba novis inscribere talia ceris:

Quam tibi transmitto, referas, Eginarde, salutem,
Et jussis attende meis, nil poscimus ultra,
Huc, scriptor celebrate, veni, te cernere coram,
Te cupio scriptore frui, tibi dextera sollers
Pingit adorandis absentum verba figuris,
Et manus in foliis ludit dexterrima summis,
Ut Druidae mirentur opus, succosque notasque
Et volucris pennae officium, mihi talia mens est
Discere te ductore, velim virguncula magnae
Artis et ingentis doctrinae arcana doceri,
Te praeeunte, piget vili percurrere telas
Pectine, vel torto deducere stamina fuso,

Aut vestem distinguere acu, vel Gallica
laeta
Ad citharae cantus modulari carmina voce.
Claruit et Manto studiis, celebrata Sibyllâ
est
Omnibus; viguit Latio facundia matris
Gracchorum, Pollaeque decus, subtilis
Arachnen
Extulit ars, doctam commendant fila Mi-
nervam,
Textaque magnificam stupuerunt serica Cir-
cen.
Me pulchre scripsisse juvat, nil penna, sed
usus
Proderit. O dignum mortali gente reper-
tûm,
O Superûm labor! exigua se cuspide terris
Explicat et tenui loquitur mens abdita ri-
ma.

Et procul extremis aperit mysteria Parthis,
Transque maris tumidos fluctus, Alpesque nivesque
Intrepidum molitur iter; si cernere cordis
Intima et abstrusos animi penetrare recessus
Vis divina valet, nos hac interprete penna
Di sumus, et patuli motus cognoscimus orbis;
Et Tanain ultra, et Libyae desertu, trucemque
Caucason, Hyrcanosque sinus, et Bactra vagamur.
O felix Cadmi studium! quam, littera, multum
Utilitatis habes! quam prodes scripta decenter!

Te sine ploret amans, nec Sestos norit Abydum,
Non Grajum Medea ducem, non Cressa puella
Scribere Theseae possit perjuria linguae.
Tu vallos, tu castra latens, tu saxa serasque
Perrumpis, clausasque subis validissima portas,
Et coeca vigiles fallis sub nocte phalanges,
Nec te Luna videt, tu fossas subter et undas
Tuta natas quaerisque viam, te pendula celso
Aëre gestat avis, portant tua verba columbae,
Et bellatorem deridet epistola Martem.
Te sine non fidus Pyladi scripsisset Orestes.

Te sine non fido Pylades scripsisset Oresti.
Te sine quis Nini rabiem, quis Jasona nosset,
Victoremque Asiae Macetam, tria fulmina belli,
Scipiadem, Pyrrhumque et parvo vivere suetum
Fabricium? foedis jacuisses, Brute, tenebris,
Adversasque movens socero, Pompeje, cohortes,
Et tacitos premerent ingrata oblivia Paulos,
Marcellos, Crassosque et nomina digna Catones.
Annales, fastosque et quae meminisse futuri
Tot monumenta valent, scribentis munere versas,

Posteritas; sive haec foliis inscripserit olim
Cura patrum, et sicco steterit sapientia grandis
Cortice, seu lenta legerentur praelia cera,
Aut niveae caperent simulachra nigerrima chartae.
Accedas, Eginarde, doce, quos linea ductus,
Et quales poscat scitissima litera flexus,
Laudatusque sua incedat statione character.
Haec jubet Emma, veni et facilis mandata capesse.
Talia scribentem tandem pudibunda reliquit
Penna manum: dubitat, num quae jam scripta fuissent
Confodiat; dissuasit amor, signare tabellam

Incipit et pressa subsignat nomina carta.
Deque suis aliquam famulis accersit et illas
Trade, ait, has abiens Eginardo trade tabellas.
Nec mora, Caesarem scriptor spectatur in aula,
Emmam laetus adit, poteras cognoscere culpam,
Ut stetit ante oculos: non illi vultus et ora,
Non color unus erat, pallet, rubet: aestuat, horret:
Vox tremula est constansque iterum: vult discere, discit:
Scribere vult, scribit: rogat, errabunda rogatur,
Corrigiturque manus, laudat studiosa magistrum,

Miratur celeres ductus, vocumque Macandros,
Et per continuos remeantia brachia circos.
Ille verecundi mox observator amoris,
Et Veneris secreta notans, laudare laborum
Prima rudimenta et regalis coepta puellae
Incipit, et placida moderari exordia voce.
Dein propius verbis, propiusque assibilat illi
Molle aliquid, festivum aliquid, paradigmata scribit
Callidus et totum chartis deducit amorem,
Quaeque suo scripsit Byblis moestissima Cauno,
Laodamia viro, aut caram Leander ad Herum,
Seligit argumenta, et sic accendit amantem

Illecebrisque foret, scribit sine mente virago,
Atque alio animus, atque alio mens laesa vagatur;
Dumque piget chartas prono nimis ore tueri,
Respicit adstantem juvenem, vultumque retorquet
Crebrius; atque errare cupit, quo saepe monentem
Audiat et cupidos scriptori obvertat ocellos.
Discit amatque simul virgo, cum littera Cadmi
Prima foret scribenda, levem scribebat Amorem,
Cum B basiolum, cum C Cytherea notatur,
Quinta Epimenidus erat, sit littera quarta Dione.

Artem turbat amor comes, ars perturbat
amorem,
Et male concurrunt ratio et cessans libido.
Ergo ubi se ostendit repetitis lucibus au-
lae
Scriptor, et accensae furor immansuetior
Emmae est.
Labitur e manibus calamus, lachrymisque
papyrus
Maesta madet, stillant oculis humentibus
undae,
Et dominae crimen produnt, tandem inci-
tus ardor
Litterulas inter furtim rapit oscula, jun-
git
Amplexus; rident ambo, mirantur aman-
tum
Esse scholam. Jam charta, stylus calami-
que recedunt

Longius, officium spernit vulgare docendi
Praeceptor, majorque viro fiducia surgit;
Atque Emmam plus grata docet, non illa fatezi
Rem timet, at causas aperit, morbumque dolosque
Quaesitumque diu simulato fine magistrum.
Utque suis vitium gradibus seriesque malorum
Incrementa capit, post tot praeludia miscent
Corpora, et audaci scriptor bellissimus Emmâ
Et lecto potitur, stupet exaltatus amator
Scribendi pretium et pingentis praemia dextrae.
Nox erat et nigra tellurem involverat umbra

Demersio naturæ die. Sopor altus habebat
Mortales, et fessa suis se regia curis
Solverat, obscuris virtus crimenque latebat
Occultum tenebris, Paphiisque accommoda ludis
Tempestas illunis erat, non Hesperus ignes
Extulerat roseos, non pleno Cynthia vultu
Lucebat cœli medio, sua gaudia laxat
Filia victoris Caroli, fruiturque proterva
Præceptore suo, cui jam non littera segnis
Ducitur, aut totas metitur syllaba noctes,
Sed lasciva Venus, vellent caligine longa
Concubitus facinusque tegi, nocturna morari
Sidera, nec currus velocem volvere Phœben,

Auroramque suis fixam consistere bigis.
Interea gravidus fecundis imbribus aether
Labitur in terrae gremium, dispersaque sursum
Corpora cogit hyems, et quae sine frigore possent
Esse graves pluviae, permixtus distrahit aër,
Et candere facit; nivibusque adoperta caducis
Prata, urbes, montesque nitent; non ista duobus
Apta fuit mundi facies, non forma procanti
Tuta satis; surgunt ambo, sua limina pandit
Emma, procum tepido tum dimissura cubili.
Utque vident niveo terras albescere vultu,

Stant ambo attoniti, metuunt, ne garrula
crimen
Et thalami labem patri natura loquatur,
Certa viri monstrans vestigia. Vah, mala
dixit
Nix, Eginardus, abi, crudelis amantibus
obstas,
Indiciumque mei facis, ô si Daedalius alas
Commodet, et levibus raperer trans aequo-
ra pennis,
Bellerophonve mihi stret equum! ô si ver-
tar in undas
Et fontes, Arethusa, tuos, vel marmore
totus
Obrigeam fiamque lapis! mihi terra de-
hisce,
Absorbe tam immane nefas, me tollite vi-
vum

Eumenides, Stygioque caput damnate profundo.
Quo fugiam, via nulla patet, si saxa; nivesque
Affusas calcare velim, nos fallet amantem;
Sin maneam, offendet genitor; nunc fertile fraudum
Deficit ingenium, nec habent mea vela recursum.
Quam male fida meas exorsa est Cypria flammas!
Quam nox haec inimica fuit, quae finiet illas,
Quas fuit orsa, faces! nihil est, quod fingere possis
Inconsultus amor. Sim taurus, Juppiter, Europam
Ut rapiam fluctus ultra, mea corpora torque,

Artusque attenua, ut colubri sub imagine parvus
Elabar, fac esse aquilam, nubesque secare,
Et vastum per inane vehi, sim vilis Arachne,
Aut blatta tineaque minor. Nec territa casu
Palluit Emma minus, trepidat, suspiria ducit
Anxia, nunc sua fata dolet, nunc condolet illi,
Et multum perculsa tepet; desaeviit aestus,
Et sero deprehsa sapit, subit ira tremendi
Caesaris, offensusque pater, generisque domusque
Splendor, et invictis asperrima dedecus armis.

Tandem ait: Invenere viam mihi fata Deusque,
Nec me deseruere doli; magis advocat artes,
Cum formidat, amans, gliscitque industria, cum se
Angi credit amor. Ne te gressusque visiles
Observent, Eginarde, nives, cervicibus hisce,
His humeris libabo virum, sublimior haec tu
Colla premes celsusque meis portabere in armis.
Magnus Atlas tremulo quondam suffectus Olympo est,
Sustinuitque Deos, ipsum Jove natus Atlantem

Fulciit, Anchisen Troja flagrante parentem
Sustulit Aeneae pietas, portata feroci
Nesso Deïanira fuit, se Pelion Ossae
Allior imposuit, tot portavere maritae
Obsessos cervice viros, charumque redemit
Quaeque sibi pondus conjux. Hoc audiat omnis
Posteritas, humeris magnum sublimibus Emmae
Insedisse procum, et naptim potuisse Pipini
Ferro furorem, et pedibus juvenem vertisse tenellis.
Corpus placent, alacrem velox Eginardus in Emmam
Irruit, illa attollit onus spectabile, portis
Egreditur calcatque nives, amplectitur ille

Virgineum caput et collu trepidantia nectit
Brachia, dumque gravis vehitur, sibi pon-
dera vellet
Diminui fierique levis. Memorabile vidit
Et facinus Dictynna novum, nebulisque
fugatis
Extulit os, risitque duos, plausere superne
Pleiades et raptae sibi virginitatis hono-
rem
Excusant grandi exemplo, spectabat ab
astris
Sueta capistratis vectari in tigribus uxor
Thyrsigeri formosa Dei, cum conjuge Ce-
pheus
Claraque Cassiope fortem videre puellam
Ire per hybernas noctes, onerique misellam
Ingemere et laxis hinc illinc pendula vittis
Crura tenere manu, nec fastidire labo-
rem.

ea fallaci geminis dum nocte geruntur,
Quamvis tranquillae donasset membra quieti
Rex Carolus, jacet insomnis, quin plurima versans
Regnorum expendit casus, discrimina belli,
Martis opus, quantis alibi se viribus Hunnus
Erigat, adversasque acies opponat Iberus,
Colligat Albis spes, quae poscant foedera Mauri,
Quas aras statuat, quae surgant templa Tonanti
In Sorabis, quibus occultae mansuescere gentes
Obsequiis jussisque queant. Haec corde volutans,

Dum fugat ignavum pernox vigilantia somnum,
Proripit e strato corpus foribusque reclusis
Adspicit ignarus lepidae spectacula scenae,
Ut tenera grandem libret cervice tenella
Virgo virum, noctis medio, ventosque geluque
Spernat et infestae glacialia frigora brumae.
Iliicet excubiis vigiles arcessit, et ambos
Stare jubet, nec ferre gradum: captiva tenetur
Infelix Emma, atque humeris decussus amicis
Incubus, obgannit deprenso miles amanti,
Indulgetque jocis. Tunica velata recinctâ,
Collaque succiduo circum ludente capillo,

Adstitit ante oculos patris moestissima virgo,
Ozaque fixa solo retinens deplorat amores,
Consiliique inopes et stultos devovet ignes.
Stat juxta pavidus scriptor, praetendere nescit
Ipse sui judex animus, pallorque nocentem
Arguit, et versi commoto a Caesare vultus.
At pater ingentem servans sub corde dolorem,
Attonitusque stupet, tantique in virgine casus
Sceptra loqui prohibent, nunc lumina torquet in illam,
Nunc illum torvus formidandusque tuetur.
Ter pede pulsat humum frendens, adspectat amantes,

Discinctas ab amore togas, velamina cir-
cum
Fondula, tot jamjam rapti argumenta pu-
doris;
Iratumque caput quassans, horrenda re-
mugit
Murmura, murmuribusque minas regaliter
addit.
Utque reos claudi tenebroso carcere jussit,
Talis sollicito depromit pectore voces:
Heu, quam dura meas exercent fata
tiaras!
Quae Carolum fortuna manet! venerabilis
orbi
Totque Ducum major titulis in prole fa-
tiscit
Majestatis apex, regni fastigia nostri
Deprétiat sceleratus Hymen, privata dolé-
mus

Damna patres, vitiisque ruunt immanibus aulae.
Inclinat regale decus, culmenque flagellat
Filia, et augusto seclus intertexit honori.
Prospera Gallorum currebant tempora rebus,
Concussusque meis jam mitescebat habenis
Mundus, et afflictis libertas reddita terris,
Et fuerat quoque, Roma, tibi; mihi signa genuque
Et Sclavus et Salae potor, Rhenique Dravique
Accola, et indomitus pridem submiserat Astur.
Surgebant delubra Deo, meliorque vigebat
Religio, cultique piis reverentia coeli.

Sed peccat, varioque domi se crimine quisque
Polluit. En, quanto soboles mea major habetur,
Majus crimen habet, patriis injuria sceptris
Dedidicit parere mihi, partisque triumphis
Obstrepit, et fulgens conspurcat sordibus ostrum.
Quam genui, minus illa mea est, scriptoris iniqui
Facta fuit pellex, rapuit vesanus amator
Virginitatis opes et castae symbola famae.
Gaudia sic socio vadunt permixta dolori,
Gloria dedecori, nihil omni ex parte beatum
Adspiciunt, qui cuncta regunt, sors moesta secundam

Diluit, et celebres infamant stupra coronas.
Jam dignos natae thalamos regnumque parabam
Exedera, sperabam nostrae connubia stirpi
Splendida, quique meis esset (proh Tempora!) regalis
Par gener, imbelles pervertit perfidus annos
Civis, et illustres exstinxit ganeo taedas.
Quas, Eginarde, tibi poenas, inquae justa rependam
Praemia flagitio? non simia, coluber unus,
Non serpens satis unus erit, discerpta merentur
Membra trahi, laceraeque rapi per compita partes.
Et tu, Nata, mea mox exercebere ira,

Et jugulo moritura lues, quae stemmata Patrum,
Quae claros abavum cineres petulantibus ausis
Conspuis et proprii subvertis jura parentis.
Pone modum victor Carole, et mansuetior audi,
Et differ punire reos, distingue duorum
Crimina, non peccant paribus vir, femina poenis.
Huic sexus pro parte favet, facilisque moveri
Credulitas, mollisque levis lascivia vitae.
Exeat aularum spatiis regumque penates
Despiciat pietas, non hac in sede morantur
Cum forma pudor, et mores sine labe pudici,
Aut tantos inter non tuta modestia luxus.

Forte aliquid causae dedimus, dum regia natam
Educat applausus inter lususque potentum
Obscoenasque ducum voces, bibit inscia ritus
Virgo malos, studiisque salax desuescit honestis.
Quin sua nascentem accendit Cytherea puellam,
Et crescit, placitura viro; se nubilis aetas
Erigit et seros audet sperare nepotes.
Ac taedet vixisse sibi, si dulce mariti
Poscitur officium, nimis est morosa parentum
Cura; placent pauci, quis fas sit nubere, reges.
Sic trahitur sperata dies, lentusque juga-lis,
Et primos inter marcent matura calores.

Tempora, nec metitur vernantis floscules aevi.
Difficiles in amore sumus, decretaque matrum
Lenta nocent, donec se grandis filia prodat,
Ignibus insanumque furor seducat amantem.
Expendam facti causas, quem quisque secutus,
Aut quae quemque prior fuerit: suffragia poscam,
Nostraque decident istos subsellia casus.
Caesar ut attentis facinus, mirabile rostris
Exposuit, quamvis celasset nomina prudens,
Damnant illa reos, et dira morte piandum

Censetur tam grande nefas, pariterque togatos
Ante patres Eginardus adest, et filia regis
Demissum velata caput, nil tristius unquam
Post Phaëthonteos vidisti, Cynthie, currus,
Lencothoëque rogum aut crudelis ferola Thyestis.
Advolat ad nutum stricto mucrone minister,
Adstat spectator Carolus, trabeataque circum
Pulpita, et austero Nemesis metuenda paratu
Tota riget. Tunc cernere erat pietatis amantum
Flebile dissidium, memorandi testis amoris
Lis fuit, et meruit veniam discordia felix.

Namque ubi prima mali scelerisque ruga-
tur origo,
Se velat Emma ream, sed contradicit
amator
Adversusque sibi est: pergit sua pandere ab
ovo
Crimina certa mori virgo; pro virgine frau-
des
Ille suas variasque exaggerat odius artes.
Alteriusque alter facti, spectante thea-
tro,
Bilinit invidiam, gignit concordia rixas,
Et partes facit acer amor, diversaque sua-
det.
Indivulsa fides, proprio de funere quisque
Litigat, et tanto gestit vehementior esse,
Quanto amat uberius, simul indignantur
amantque.

Turbarique forum, languere ferocia Thrae-
cum
Pectora, barbaricumque iras posuisse tri-
bunal.
At Carolus quanquam ancipitem prae-
sentia mentem
In diversa ferant, et jam plus parcere natae
Exoptet, juvenemque mori, jam justior
ulter
Esse velit, geminosque mori, jam lubrica
verset
Corda hominum Veneremque levem: so-
lumque beatos
Non peccare Deos: jam spretis maxima
poenis
Regna quati, sperni leges, succrescere
pravi
Semina et occultos stimulos peccantibus
addi:

Mitescit, veniaeque favet, lenisque secundis

Ire monet, placat fractum clementia regem,

Componitque truces vultus, patremque serenat

Virginis, et tumidos sedat mansuetior aestus.

Orchestram conscendit Hymen, Libitina fugatur,

Et tristis lethi facies, puer aliger alas

Concutit attollitque faces. Pater, accipe, dixit,

Emma, virum, si primus amor peccavit amando,

Nunc conjux, nunc uxor ama. Cape nobilis Emmam

Et tabulas, Eginarde, tuas; adsuesce vocari

Progeniesque generque meus, tibi filia gignat
Martellos alios et nomina digna triumphis,
At mala venturi caveant exempla nepotes.
Undique conveniunt Proceres, gratantur, et omnis
Effusis vacat aula jocis, connubia surgunt,
Concordesque ligant animos, se Gallia totam
Laetius explicuit, seu quae Braccata salutat
Massilum populos, seu Transalpina Togatis
Pandit rura viris, seu quae spatiosior exit,
Et sparsum nodo stringit Crinita capillum.
Subsiliit Liger, et famosis Sequana ripis
Plenior intumuit, sua sentiit Axona praeceps

Gaudia, sensit Arar, Rhodanus rapidusque Garumna,
Et tumido terras tunc Matrona proluit alveo.
Plurimus arsit amans, Emmam comitatur Amorum
Turba frequens, cingunt herbis redolentibus Emmam,
Erucaque comas et myrto tempora velant.
Tunc Glaucus Spathalen fertur, pulchramque Palaemon
Dorida dilexisse magis, Neptunus inisse
Tethya, Leucothëen Phorbas; Triton Panopaeam,
Perque patens Emmae fraudes cecinisse profundum,
Et calamum scriptoris; erat, qui carmine longo
Festivum recitaret opus. Speremus amantes,

Exclamat Melicerta, potest regalia vilis
Auspiciis Divûm pulsare cubilia scriptor,
Et facili jam rege frui, sibi maxima spondens,
Fit Superis propior, quidquid mens imperat, audax
Impetrat, ignavo nunquam fortuna timori
Ite comes, erectas constans fiducia nobis
Spes fovet, haud paribus semper palatia flagrant
Ignibus, admittat quemvis regina maritum,
Basiolumque rudi cupiat libasse subulco.
Sic plausere Deae, sic applausere Deabus
Laetantes passim Druidae, sed celsior alta
Despectans res humanas de nube Menippus,
Dum regum luxus et stultas ventilat aulas,
Et naso patrem Carolum suspendit et Emmam.

NOV 26 1917